ORGANUM RHETORICUM
ET ORATORIUM,

CONCINNATUM EX ARTE RHETORICA
ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS
CUM NOTIS GREGORII MAJANSII,
GENEROSI VALENTINI,
ET DUODECEMVIRI LITIBUS JUDICANDIS
IN DOMO ET URBE REGIA;
ET EX INSTITUTIONIBUS ORATORIIS
PETRI JOANNIS NUNNESII, VALENTINI,
CUM EJUSDEM AUCTORIS ANNOTATIONIBUS.

ACCEDUNT,
IPSIUSMET NUNNESII
QUÆSTIO DE COMPONENDIS EPISTOLIS,
IN QUIBUS DE GRATIARUM ACTIONE DISPUTETUR:
TABULÆ RHETORICÆ:
ET EIDEM VINDICATA ORATIUNCULA,
IN SCHOLIS RECITARI SOLITA.
EX BIBLIOTHECA MAJANSIANA.

OMNIA, ET IN OMNIBUS

CUM SUPREMI SENATUS PERMISSU:

VALENTIÆ EDETANORUM,
APUD FRANCISCUM BURGUETE, ANNO MDCC. LXXIV.

48.
2. 4.
186.

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO EMMANUELI DE RODA

CAROLO III. HISPANIARUM REGI
A CONSILIIS INTIMIS, ET IN UNIVERSIS
Regiæ Gratiæ, Justitiæque Negotiis, Ab Epistolis,

GREGORIUS MAJANSIUS,
GENEROSUS VALENTINUS,

S. D.

EXC.ME DOMINE.

SI Argumentorum ratione ac momento Libri essent dedicandi; aut per Libros Patronorum merita facile cognoscerentur; aut per Patronos, Librorum præstantia, aut vilitas. Nunc vero, cum Patroni eligi soleant, vel ob Scriptorum gratum animum erga

¶ 2 eos;

eos; vel ob ambitionem ineundæ ab iis gratiæ; Lectores per se cognoscere debent, cujusmodi sint Libri; quales, Patroni. De similibus Lectorum præjudiciis nihil laboro. Quamobrem offero Tibi confidenter Ælii Antonii Nebrissensis *Artem Rhetoricam*, & Petri Joannis Nunnesii Valentini *Institutiones Oratorias*.

In illa *Arte* Methodo perspicuâ continentur omnia persuadendi Præcepta, quæ Antonius diligentissime collegit, & ingeniosissime concinnavit, subtili & non interrupto orationis filo, utens semper ipsissimis verbis & sententiis Ciceronis, Cornificii, & Quinctiliani, qui Aristotelis doctrinam sectati fuerunt, & peritissime ornarunt, illustraruntque.

In Nunnesii *Institutionibus Oratoriis* comprehenduntur Præceptiones ornandi Orationem *Tropis*, & *Figuris*; quas ille Vir eruditissimus selectis & illustribus exemplis explicavit, & artificiose disposuit: quorum Operibus ad prædicta Argumenta spectantibus nullum aliud in eo genere præferendum est, vel in doctrina, vel in elegantia: præterquam quod utrumque commendat pura & illustris brevitas cum mirabili perspicuitate conjuncta: ut facile appareat unumquemque illorum non suo, sed Ciceronis, aut Quinctiliani ore locu-

tum

tum fuisse; quos proculdubio reprehendet, qui utrumlibet eorum reprehendere conabitur.

Horum Operum amicâ conjunctione fit, ut suadendi doctrina, quam Aristoteles copiosissime tradidit, & Ars ornandi Orationem, quam Nunnesius ingeniosśime in summam redegit, unam Artem conficiant omnibus numeris absolutam. Ego vero, ut novam ei gratiam conciliarem, Antonii Rhetoricæ in marginibus adjunxi, ex quibus Auctoribus ille Vir laboriosissimus singulas Præceptiones ad verbum descripserit: & Nunnesii *Institutiones Oratorias* ornavi doctissimis ipsius *Annotationibus* ineditis: addidique ejusdem *Quæstionem de componendis Epistolis, in quibus de Gratiarum Actione disputetur*: & *Tabulas Rhetoricas*, quæ licet referantur, & pertineant ad ejusdem Viri *Institutionum Rhetoricarum Libros quinque*; tamen propter earum raritatem conservari merentur: præsertim cum mirifico usui esse possint in studio Rhetoricarum rerum provectis; eosque incitare debeant ad legendos Nunnesii *Rhetoricos Libros*, quibus in hoc genere sub sole nihil visum illustrius, nihil acutius, atque politius.

Hæc igitur Opera statui debere a me offerri Tibi, qui dicendi Artifex peritissimus es, cum

aut

aut Tuo nomine ſcribis; aut Regio Epiſtolas, vel Decreta: in quibus optime oſtendis eximiam tuam prudentiam, ſapientiamque: quæ Tuæ præclariſsimæ Virtutes cum mirabili probitate atque vitæ integritate conjunctæ, jam diu cognitæ, & ſpectatæ ſunt: tum in Hiſpania apud Supremum Juſtitiæ Senatum: tum Romæ, velut in omnium Nationum Theatro: immo & ubique Terrarum ob munus Tuum, quo fungeris, fideliter & feliciter expediens univerſa Negotia Regiæ Gratiæ, & Juſtitiæ. Prætereo cæteras Virtutes Tuas, eximiam in voluptatibus contemnendis honeſtatem, raram in gratioſiſsimo munere exercendo abſtinentiam, firmam in neceſſariis laboribus perferendis conſtantiam, invencibilem fortitudinem in ſummis periculis, mirabilem in deſpiciendis inimicis magnanimitatem, Chriſtianam in tantis Virtutibus modeſtiam. Accipe igitur, Vir Ampliſsime, hæc munuſcula literaria, quæ jure Tuo Tibi debeo: Deoque, & Regi noſtro amabiliſsimo ſemper Carus, priſtinam Tuam erga me voluntatem pro Tua benignitate conſerva. Valentiæ Edetanorum, V. Eidus Septembres, Anno Servatoris MDCC. LXXIV.

LI-

LICENCIA

DEL REAL, I SUPREMO CONSEJO.

EN conformidad de la Carta Acordada del Consejo de veinte i quatro de Marzo del año mil setecientos sesenta i ocho, en que se concede al Señor Don Gregorio Mayàns i Siscàr del Consejo de su Magestad, i su Alcalde Honorario de Casa, i Corte, la Licencia necessaria para imprimir sus Libros, pareciendome a mi que son dignos de la luz publica; he leido el intitulado, *Organo Oratorio*, i *Rhetorico*, compuesto del *Arte Rhetorica* del Maestro Lebrija, con *Notas* de dicho Señor Mayàns; i de las *Instituciones Oratorias* de Pedro Juan Nuñez, con *Notas* de èste mismo: añadidas unas *Tablas Rhetoricas*: una *Question* sobre la manera de componer las Cartas de Gracias, i una *Oracioncilla* del mismo Autor: Todo aumentado con nuevos, i oportunos Indices, para su mas facil uso: i me parece que puede imprimirse por ser las referidas Obras, las unas de estremada rareza; las otras, ineditas; i todas ellas mui utiles; porque facilitan la importante doctrina del Arte de decir con la mayor perfeccion. En ellas no se halla cosa alguna contraria a las Regalìas i Pragmaticas de su Magestad. Valencia, i Julio a 20. de 1774.

Don Francisco Perez Mesia.

GRE-

GREGORIUS MAJANSIUS,

GENEROSUS VALENTINUS,

HISPANAE JUVENTUTI ELOQUENTIAE STUDIOSAE.

1 ARistoteles Stagirita, summi ingenii vir, primus omnium, utilissima & sparsa Rhetoricæ Artis Præcepta diligentissime collegit, plurima alia ex assidua, & intentissima lectione, & conquisitione, observavit, annotavitque; quidquid ad persuadendum idoneum sibi visum fuit, adjunxit; & in novum Ordinem industria mirabili digessit. Hunc Rhetorici Græci & Latini sequuti sunt: & inter hos præcipue M. Tullius Cicero, & M. Fabius Quinctilianus, optimi Rhetoricæ Magistri, & præterea eloquentissimi.

2 Cum hæc optime sciret Ælius Antonius Nebrissensis, immortale decus literarum, *Artem Rhetoricam* scripturus, sibi proposuit Aristotelis doctrinam renovare, utendo ipsissimis verbis, quibus eam promulgarunt Cicero, & Quinctilianus, & Auctor ad Herennium, quem multi eo tempore cum Cicerone confundebant.

3 Eo consilio Antonius Nebrissensis dictavit Artem Rhetoricam. Postea, cum ageret de illa edenda, nonnulla resecavit, alia immutavit, alia adjecit. Operarii Typographici non ita erant periti, & accurati, ut passim non offenderint, ut ipse Auctor admonuit post excusum opus.

4 Possem ego minutissime indicare unde singulas quasque Sententias desumserit Antonius. Verum hoc supervacui laboris esset, & minime necessarii. Præcipua vero in marginibus designare, & præsertim ea, quæ continuo filo descripta sunt ex Cicerone, Cornificio, & Quinctiliano, operæ pretium duxi: non autem desumta ex Aristotele, cujus doctrinam potius, quàm verba, secutus fuit Antonius.

5 Si quis vero contulerit, quæ ipse Nebrissensis, cum

iis

iis quæ Cicero, Cornificius, & Quinctilianus dixerunt; nullo negotio observabit, pleraque Antonium descripsisse ad literam secundum exempla quæ illo tempore circumferebantur: in quibus propter codicum manuscriptorum diversitatem multa aliter ac nunc legebantur. Ego vero, nisi ubi post tot collationes, & animadversiones ab eruditis factas, evidenter apparebat lecturæ vitium; nihil emendavi. Præterea ipse Nebrissensis aliquoties multa Ciceronis, & Quinctiliani in compendium redegit: alia, ut suæ docendi methodo inserviret, immutavit. Quæ cum ego animadvertissem; existimavi me non debere velle videri nimis ingeniosum in opere alieno, restituendo illis Auctoribus ipsissimas Sententias, aut Verba, quæ ultro Nebrissensis immutavit.

6 Sed ad propositum accedamus. Ælius Antonius Nebrissensis, si proprie loqui volumus, scripsit *Artem Oratoriam*, quâ intelligitur Vis dicendi explicatrix Orationis perpetuæ ad persuadendum accommodatæ, ut eam definivit Cicero *Academicorum Lib.* I. *cap.* 8. eoque sensu Quinctilianus *Institutiones* suas inscripsit *Oratorias.*

7 Sed cum Nebrissensis consilium esset præcipue sequi Aristotelem, qui *primo Rhetorico* scripsit, *Rhetoricam esse Facultatem percipiendi quidquid in quaque re excogitari potest idoneum ad persuadendum, id enim nulla est Ars alia quæ præstet; nam aliarum quæque ad docendum & ad persuadendum idonea est eo tantum in genere in quo ipsa versatur, ut Medicina in eo quod salubre, quodque morbosum est; Geometria in iis, quæ magnitudinibus accidunt; Arithmetica in numero; itidemque cæteræ Artes ac Scientiæ; Rhetorica autem de qualibet prope dixerim re proposita videtur perspicere posse quid in ea insit aptum ad persuadendum*; circumscripsit se doctissimus Nebrissensis limitibus Artis persuadendi: nec ulterius progredi voluit ad Artem ornandi Orationem Tropis, & Figuris Sententiarum Verborumque; licet hæc in *Rhetoricis suis Libris* docuisset Auctor ad Herennium, sive Cornificius, eumque sequutus Quinctilianus noster, ne longus

gus ſim in aliis Rhetoribus enumerandis. Nimirum cum Ariſtoteles ſuos *Rhetoricos* ſcripſit, hujuſmodi pueriles Tractatus de *Tropis*, & *Figuris*, licet in ſingulis ſuis partibus ſeparatim notus eſſet eruditis, nondum Artificioſe coaptatus fuerat: quod alii poſt Ariſtotelem egregie præſtiterunt: atque hæc Rhetoricæ, ſive Oratoriæ Pars adventitia, vel potius adminiculum, quod Ariſtoteles in ſuis *Rhetoricis* præteriit, & Antonius Nebriſſenſis, ut ipſe admonuit extremo capite vigeſimo ſeptimo, ut Partem apud Grammaticos protritam, omiſit, adeo placuit recentibus Rhetoribus, qui ſeſe Adoleſcentium captui accommodare ſtudebant, ut propter ſummam ejus facilitatem plerique illorum contenti fuerint Diſcipulis ſuis eam ſolum tradere, neglectâ priori, & præſtantiori Parte Præceptorum pertinentium ad perſuadendum.

8 Non ita ſe geſsit præclariſsimus ille Magiſter omnis doctrinæ Rationalis, ſive literarum Humaniorum, Petrus Joannes Nunneſius, qui utrumque Rhetorum munus exſequutus eſt, & docendi optima idonea ad peru adendum, & ad ornandam etiam orationem.

9 Primum illud egregie præſtitit editis *Inſtitutionum Rhetoricarum Libris quinque* ex Græcis, & præcipue Hermogenis, Aphthonii, ac Theonis fontibus; ſed ſelectis ex Tullianis operibus exemplis, quorum Librorum ſecundam & tertiam editionem habeo; alteram vulgatam Barcinone ex Typographia Jacobi Sendrat, Ann. 1585. alteram in eadem Civitate ex Typographia Sebaſtiani Cormellas, An. 1593. Utraque editio in lucem prodiit multo correctior, & locupletior, quàm prima, exemplis, & indicibus, & nova acceſsione Artificii, quo poſsit Ars copioſius, & utilius exerceri. Conſiſtebat autem, ut puto, illud Artificium *in Tabulis Inſtitutionum Rhetoricarum*, quas habeo editas Barcinone apud Jacobum Sendrat, Anno Domini 1578. quæ *Tabulæ* ſunt rariſsimæ: quia eo tempore Adoleſcentulorum manibus terebantur, qui facillime quos contrectant, Libros corrumpunt. Sed Reipublicæ Literariæ intereſt eas conſervari ad facile animo

com-

comprehendendam integram omnium & singularum Compositionum Rhetoricarum Ideam; & ad formandum judicium de iis, cum per illas *Tabulas* apertissime appareat quid unicuique Compositioni, aut desit, aut supersit. Quod non est cujusvis judicare.

10 De his *Tabulis* hoc judicium fecit ipse Nunnesius in suis *Institutionibus Rhetoricis*, *cap. fin. de Exercitatione Rhetorica. Exercitationis igitur Rhetoricæ, quæ nobis hoc tempore proposita est, hæc ratio primum ineunda, ut quemadmodum in Logisticis Mensam, ut vocant, Pythagoræ, teneat quisque memoriter oportet ad expedite numerandum; sic in his, cum Artem semel didicerit, in promptu habeat Tabulas totius Artis, quas separatim edendas curavimus, quo brevi totius Artis speciem oculis & menti subjiciant.* Usum earundem Tabularum, qui mirifice utilis est, idem Vir summus præclarissime docuit in eodem eruditissimo *cap. de Exercitatione Rhetorica.*

11 Secundum, scilicet id quod attinet ad Orationis Ornatum, idem Nunnesius eximie præstiterat editis *Institutionibus Oratoriis, collectis methodicωs ex Institutionibus prioribus Audomari Talæi, Valentiæ per Joannem Mey Flandrum* 1552. octuplicatâ chartâ.

12 Nunnesius in his Institutionibus, quas *Oratorias* nuncupavit, inutilia resecavit, exempla selegit, & pleraque eorum ex Cicerone desumsit, nonnulla ex Virgilio, fere omnia jam probata Quinctiliano. Quare modestiæ caussâ Audomarum Talæum (quem sicut Turnebum, etiamque Ramum, & Carpentarium, Parisiis annum integrum audierat) Talæum, inquam, ut insignem in Rhetoricis Præceptorem suum animo gratissimo commendavit, laudato illo in ipso Titulo *Oratoriarum Institutionum*; etiamsi Talæanas emendando, ornando, & melius digerendo, suas fecisset: quod quilibet fatebitur, si Talæum consulat, & antiquos Latinos Rhetoras, in quorum Libris eadem propemodum leguntur Troporum, & Figurarum exempla: licet docendi methodus Nunnesiana multo subtilior, & accuratior sit, ut sunt omnia illius Viri acutissimi, & judiciosissimi.

13 Hæc cum ita se habeant, si res potius, quàm verba considerare velimus, concedere debemus, esse unam Artem, quæ perspiciat quidquid idoneum sit ad persuadendum; & alteram, quidquid idoneum sit ad ornandam orationem. Has si nominibus distinguere volumus, priorem appellemus *Oratoriam*; posteriorem, *Rhetoricam*. Sed, si hæc nomina late accipere volumus; dicamus utriusque significantiam esse eandem: & tam *Rhetoricam*, quàm *Oratoriam* agere de persuadendi Arte, & de Orationis Ornatu, qui gratiorem facit Persuasionem.

14 Propterea ego facturus rem utilissimam Adolescentibus Eloquentiæ studiosis, cogitavi publici juris facere *Organum Rhetoricum*, & *Oratorium*, compositum ex *Arte Rhetorica* Ælii Antonii Nebrissensis cum *Notationibus* meis indicantibus ex quibus Auctoribus Præcepta sua desumsit Nebrissensis: & ex *Institutionibus Oratoriis* Petri Joannis Nunnesii, Valentini, cum ejusdem Auctoris *Adnotationibus ineditis*, quibus accedunt ipsiusmet Nunnesii *Tabulæ Institutionum Rhetoricarum*, ne temporis injuriâ pereant, atque ita illis aliquando adjungi possint: item *Quæstio de componendis Epistolis, in quibus de Gratiarum Actione disputetur*: & eidem vindicata *Oratiuncula* in Scholis recitari solita, quam anno 1655. excusam observavi cum Progymnasmatis Petri Joannis Nunnesii editis Valentiæ a Francisco Novella, apud Hieronymum Vilagrasa.

15 Postremo suis in locis *Rerum Verborumque memorabilium Indices* adjeci in Lectorum gratiam.

16 Ducibus igitur his duobus literatissimis Viris, Ælio Antonio Nebrissensi, & Petro Joanne Nunnesio, Valentino, summis bonarum Artium instauratoribus, facillimo negotio Eloquentiæ Studiosi perdiscent *Artem Oratoriam* integram, & omnibus suis partibus absolutam perfectamque: &, si in Scholis, in quibus Rhetoricæ Præceptores non erunt, Grammaticæ Magistri curaverint, ut Discipuli sui *Organum* hoc patriâ linguâ interpretentur, & memoriæ suæ mandent (quod propter Operum brevitatem non difficulter assequentur) de Grammaticis fient Rhetores.

Hu-

17 Hujus *Organi* præſtantiam, ſi ſeparatim ejus Partes conſideremus, optime agnovit Gens illa, quæ ſibi præter cæteros Mortales egregiam Sapientiæ famam arrogabat: ideoque Doctor Cyprianus Suarez Ocannienſis, qui anno ætatis ſuæ vigeſimo octavo eorum Inſtitutum profiteri cœpit, edidit anno 1568. *De Arte Rhetorica Libros tres, ex Ariſtotele, Cicerone, & Quinctiliano præcipue depromptos: Quam ego provinciam* (inquit ille *in Præfatione ſua ad Chriſtianum Lectorem*) *cum eorum voluntate ſuſcepiſſem, quibus libenter vitæ meæ rationem commiſi, his tribus Libris dicendi præcepta, quantum exiguæ ingenii mei vires efficere, & conſequi potuerunt, complexus ſum, ut juvarem adoleſcentes ad legendos Ariſtotelis, Ciceronis, & Quinctiliani doctiſsimos Libros, quibus eloquentiæ fontes continentur.* Titulo illo alliciente Lectores Nebriſſenſem imitatus Cyprianus Suarez, ne a tanti Præceptoris doctrina, & docendi methodo Hiſpanis gratiſsimâ diſcedere videretur; ſimulque ipſe ſatis inſtitutus a præſtantiſsimis ſui temporis Magiſtris Antonii diſcipulis & ſectatoribus, *Artem* ſuam *Rhetoricam* ſuorum præpotentiâ adjutus, in Scholas Hiſpaniæ introducere cœpit. Sed cum brevi tempore ſtudioſis exempla non ſupperent, eorum egeſtati ſuccurſum eſt, uti legitur in privilegio dato Matriti die 20. menſis Septembris, anno 1568. atque *Ars* illa Suarezii denuo excuſa fuit Hiſpali apud Alphonſum Eſcrivanum, anno 1569 quadruplicatâ chartâ, Cenſore Didaco Gratiano, diſertiſsimo viro, Librum illum comprobante *ut brevem & compendioſum, Matriti, die* 13. *Septembris, anno* 1568. Illi editioni adjuncta fuit *Tabula Pri. Lib. Rhetor. P. Doct. Cypriani Suarez brevem ſingulorum cap. ſummam continens Scholaſticis ediſcendam.* Quod attente obſervandum eſt.

18 Editionem illam Hiſpalenſem ſequuta fuit altera Antuerpenſis quadruplicatâ chartâ, anno 1575. quam cenſurâ ſuâ confirmavit M. Hieronymus Higueras Mantuæ Carpetanorum in Collegio ſuorum ſociorum 6. Kal. Sextilis ejuſdem anni 1575.

19 Succeſsit in Hiſpania alia editio, quam ſuffragio ſuo

ſuo comprobavit Rodericus Gonzalez Mantuæ Carpetanorum in Collegio Societatis 6. Kal. Sextilis, anno 1577.

20 Aliam confirmavit Gregorius Fuentes ejuſdem Societatis, Cæſarauguſtæ 6. Kal. Martii 1581. quam editionem ego habeo & plurimi æſtimo: nam in ea repetitæ ſunt omnes memoratæ Cenſuræ proculdubio ſtudioſe collectæ, atque propoſitæ Auctoritatis conciliandæ gratiâ, tot multiplicatis editionibus in tam brevi tempore. Miror autem inter prædictas non commemorari editionem Venetam anni 1565. quam refert Alphonſus Ciaconius Ordinis Prædicatorum in Bibliotheca ſua: quæque, ut mihi videtur, prima fuit. Omitto alias poſteriores ad propoſitum noſtrum non facientes, exceptâ illâ, quæ Matriti facta fuit per Franciſcum Sanctium octuplicatâ chartâ anno 1583. impenſis Blaſii a Robles Bibliopolæ, ubi tres Suarezii Libri ab Auctore recogniti, & multis in locis locupletati dicuntur: ſimulque *Tabulæ* excuſæ fuerunt. Ad propoſitum redeo.

21 Animadvertit Gens illa perpicaciſsima, Alphonſum Torreſeum (alio nomine Turriculanum, hoc eſt, *de Torres*) ingenuarum Artium, & Philoſophiæ Magiſtrum, & Primarium Eloquentiæ Profeſſorem in Academia Complutenſi, doctum, & elegantem Grammaticum, & Rhetorem, ſequutum viam illam compendiariam docendi per *Tabulas*, quam præter cæteros Pariſiis promoverat Petrus Ramus, & in Hiſpania ejus diſcipulus, Petrus Joannes Nunneſius, Alphonſum (inquam) de Torres edidiſſe Compluti apud Joannem Iñiguez a Laquerica, anno 1579. *Tabulas breves, & compendiarias in duos Tomos Rhetoricæ a ſe compoſitæ.* Timebant Socii ne Rhetorica illa Magna (ut conjectari poſſumus, Antonianæ ſimillima) prodiret in lucem; neve ejuſdem *Tabulæ* a Rhetoricæ Studioſis probarentur: ideoque in tanti Viri æmulationem novæ *Duæ Tabulæ* perbreves compoſitæ fuerunt, ut tribus Suarezii Libris totidem Tabulæ reſponderent, *quas Scholaſtici ediſcerent*: quod attente obſervandum, & animadvertendum eſt. Quo anno id factum fuit, incertum eſt mihi. Legi-

ve-

vero editas fuisse Venetiis, ex Officina Damiani Zenarii anno 1589. digestas a Ludovico Carbone; & eodem anno etiam Veronæ eâdem formâ, cum Commentario Federici Ceruti Veronensis. Præterea habeo has *Tabulas Rhetoricæ* Lugduni excusas apud Abraham Cloquemin, sedecies octuplicatâ chartâ, anno 1616. cujus titulo hæc subjecta sunt. *Nunc demum hac postrema editione auctæ.* Sed varias earum Tabularum editiones si inter se conferas, observabis quantum discrepant aliæ ab aliis pro illarum editorum libitu.

22 Atque hæ sunt *Tabulæ*, quibus illius temporis Studiosi operam dare cœperunt maximo doctrinæ dispendio: quod ego ipse expertus confirmare possem: nam *Tabulas* illas *sæpissime* recoctas, quibus *Artis* nomen dederunt, memoriæ mandare jussus fui cum essem puer: utinamque ulterius non progressus fuissem discendo quàmplurimas ineptias: nam etiam memoriæ meæ committere coactus fui integram Francisci Pomey *Rhetoricam*, cujus felicissime oblitus sum postea quam operam dare cœpi Rhetoricis Libris Ciceronis, Cornificii, Quinctiliani, cæterorumque minorum Rhetorum Latinorum, itemque Aristotelis, Demetrii Phalerii, Longini, & Hermogenis, cujus Rhetorici Libri a Nunnesio amplificati, illustrarique, sunt opus perfectissimum; sed quod, nisi docente eminentissimo Magistro, est supra captum vulgarem, ut ejus *Tabulæ* demonstrant provectioribus solum utilissimæ, in quorum gratiam eas evulgavi, & maxime ut Lectorum animos excitem ad legendos Rhetoricos Nunnesii Libros.

23 Interea vero intendamus mentem ad ea quæ nunc scire oportet. Si Suarezium cum Ælio Antonio componamus, Dareta cum Entello; utriusque Operis Titulus unus idemque est: Opera vero inter se multum discrepantia. Alterum, ad unguem factum, & perfectissimum, exquisitâ doctrinâ plenissimum, brevissimumque: præterea ejus dictio, Ciceroniana, & Fabiana: quâ nulla alia limatior, nulla nitidior inveniri potest. Alterum, popu-

lare,

lare, certe non inelegans, utpote ex probatissimis Auctoribus dessumtum: sed ejus doctrina inferior est, & Artificium, minus laboriosum; cujus major facilitas, quia difficillima Artis ibi non docentur, Lectores alliciebat. Illud formis Typographicis recudi desiit, Nebrissensis Discipulis deficientibus: hoc typis frequentissime repetebatur, Suarezii Sociis magis magisque in dies invalescentibus. *Tabulis Rhetoricis* idem propemodum contigit. Turriculanæ utilissimâ doctrinâ plenæ cum Auctore suo sepultæ fuerunt. Suarezianæ, quæ veluti Index erant, propter facilitatem quâ discebantur, prævaluerunt, & ipsimet earum Auctori nocuerunt, ejus *Arte Rhetorica* neglectâ. Præterea Nunnesiana *Progymnasmata* ex ejus Libro primo *Institutionum Rhetoricarum* descripta, & edita Cæsaraugustæ apud Eximinum Sanchez, 2596. ad Suarezianam *Artem* supplendam, ut ipse Editor admonuit in *Præfatione ad Lectorem*, de medio sublata fuerunt, substitutis *Tabulis* Suarezianis.

24 Nihil igitur jam deest, nisi ut Consilium meum paucis aperiam. Artes restitui, & instaurari debent eo ipso modo, quo literis renascentibus renovatæ fuerunt, & ad summam perfectionem deductæ. Audiamus igitur, & sequamur maximos Hispanorum Magistros, Ælium Antonium Nebrissensem, & Petrum Joannem Nunnesium, Valentinum, præstantissimos Artis Oratoriæ Doctores.

AR-

ARTIS RHETORICÆ

COMPENDIOSA COAPTATIO

EX ARISTOTELE, CICERONE, ET QUINTILIANO,

ANTONIO NEBRISSENSI CONCINNATORE.

PROLOGUS.

AD CLEMENTISSIMUM IN CHRISTO JESU PATREM ac Illustrissimum Dominum, Dominum Franciscum Simonidem, S. R. E. Cardinalem Hispanum, &c. Ælii Antonii Nebriss. in Complutensi Gymnasio Artis Rhetoricæ Professoris, Præfatio in ejusdem Artis Breviarium ex variis Auctoribus collectum.

POlus apud Platonem in eo Libro, qui de Arte Rhetorica *Gorgias* inscribitur, interrogatus a Chærephonte, Quam Artem profiteretur; *Multæ*, inquit, *Artes, & Scientiæ sunt in hominibus ex peritia perite adinventæ. Peritia namque facit vitam nostram per Artem; imperitia vero per fortunam incedere.* Cui sententiæ in magnis Moralibus astipulatur Aristoteles. *Ubi plurimum*, inquit, *est fortunæ, ibi minimum est artis, & prudentiæ: atque e contrario, ubi plurimum est artis, ibi minimum est casus, & fortunæ.* Atqui si ulla est Ars, in qua plurimum fortuna dominetur; ea nimirum est Rhetorica. Est enim omnium difficillima: quippe cujus fructum possit percipere nemo, qui non sit bonus vir; idemque dicendi peritus. Nam quid difficilius, ut ait Pittacus, quàm esse bonum virum? Quid magis arduum, quàm ut persuadeas, copiose ornateque dicere? Hinc est illud Ari-

stolis: (1) quod jam transit in proverbium: *Virtus moralis, & Ars intellectiva circa difficile versantur.* Itaque non sine causa in *Oratore* (2) Cicero scribit, quosdam mirari solitos, quod in uno sæculo complures optimi poëtæ; atque e diverso in multis sæculis vix Orator unus tolerabilis sit repertus; cum præsertim Ars dicendi constet ex verbis trivialibus atque protritis; & ex sententiis communi omnium sensu receptis Cujus rei causa est in promptu. Nam in eo excellere, in quo æmulos non habeas; & eos vincere, qui non repugnent, nihil habet quod sit magnificum. At in eo in quod omnes manibus pedibusque nituntur, quodque per omnem vitam agunt, alios superare; non admirabile modo; verum etiam divini cujusdam operis munus est. Sed ad rem.

Ars dicendi tametsi cunctis hominibus est ingenita, quemadmodum, & Grammatica, & Dialectica; omnes enim emendate, argute, ornateque loqui nituntur: Ars tamen & consuetudo perficit ut ea quæ in nobis natura inchoaverat, ad summam reducantur. Sed eò Rhetorica difficilior est, quod ejus materia longe lateque patet: neque illius amplitudo potest ullis terminis coarctari. Sed cum sint hujus Artis libri complures a clarissimis Auctoribus Græcis, & Latinis editi: eòque res deducta sit, ut nihil addi posse videatur; nescio quo tamen modo aliquid desideratur adhuc, quod sit adeuntibus rem tam arduam quasi opus introductorium. Ad quod faciendum tu me, Pater optime, identidem hortatus es, illâ, opinor, ratione ductus, ut in hoc pulcherrimo totius Orbis Hispani, ne dicam Terrarum Gymnasio, eloquentiam cum sapientia jungens, hanc quoque partem inhonoratam non relinqueres: ad quam exequendam hic meus labor nonnihil posset conducere. Sed post Ciceronem, & Quintilianum, qui nullum post se scribendi locum hac de re posteris reliquêre; quid ego ausim in tantæ rei difficultate? *Introductorium*, inquis, quale illud fuit, quod in

La-

(1) *Lib. 2. Ethicor. cap. 3.*
(2) *Lib. 1. cap. 3.*

Latinas litteras edidisti: magnâque cum tuâ, atque Nationis nostræ gloriâ per omnes nominis Latini gentes circunfertur. Oho, dispar ratio est illius atque hujus negotii. Illic habebam complures mei similes, quos imitarer: hic paucos, & qui me longius ab imitatione submoverent. Illic sunt multa, quæ possum mihi vel peculiari quodam jure meo vindicare, quæ prioribus fuerant incognita, atque etiam posteris fortasse, nisi a me acceperint: hic vero quid ego inveniam, nisi quod est in ore omnium vulgoque protritum? Illic præterea res erat mihi cum pueris litterarum rudibus: hic vero cum viris, & quidem eruditissimis, qui forsan opinione quadam falsâ, quam semel de me acceperunt, aliquid egregium, novum, admirabile a me expectant. Quare ne mihi in hoc opere tale aliquid accidat, quale in illis *Introductionibus*; fuerunt enim qui dicerent, me nihil bene dixisse, nisi in iis quæ ab aliis accepi; in ceteris vero aberrasse; nihil ex ingenio meo, neque unum quidem verbum apponam, nisi fortasse ad connectenda inter se Artis Præcepta, ne quis posit me calumniari, quod vetera atque aliena pro novis meisque vendo. Et ne quis falso de me existimet quod sum Orator, quia de Arte Oratoria Præcepta trado; sciat Ciceroni placuisse, (3) nihil esse facilius, quam de arte scribere: nihil difficilius quæ ex arte dicere. Quid igitur? Quemadmodum ait Horatius:

— *Fungar vice cotis, acutum*
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi. Vale.

(3) *De Invent. Rhet. lib.* 1. *cap.* 6.

ANACEPHALEOSIS OPERIS.

Præparatio Operis. Cap. I.
An Rhetorica ſit Ars; & quid eſt. Cap. II.
De Artifice. Cap. III.
De Materia. Cap. IIII.
De Inſtrumentis. Cap. V.
De Fine. Cap. VI.
De Partibus Rhetorices. Cap. VII.
De Inventione. Cap. VIII.
De Diviſione Cauſarum. Ibid.
De Statu Cauſarum. Cap. IX.
De Triplici Statu Cauſarum. Cap. X.
De Ratione, Judicatione, & Continenti. C. XI.
De ſex Orationis Partibus. Cap. XII.
De Exordio. Cap. XIII.
De Narratione. Cap. XIIII.
De Partitione. Cap. XV.
De Confirmatione. Cap. XVI.
De Syllogiſmo. Cap. XVII.
De Uſu Argumentorum. Cap. XVIII.
De Confutatione. Cap. XIX.
De Peroratione. Cap. XX.
De Cauſis in Genere. C. XXI.
De Genere Demonſtrativo. Cap. XXII.
De Genere Deliberativo. Cap. XXIII.
De Genere Judiciali. Cap. XXIIII.
De Diſpoſitione. Cap. XXV.
De Elocutione. Cap. XXVI.
De Memoria. Cap. XXVII.
De Pronunciatione. Cap. XXVIII.

FINIS.

Quin-

Quinque res in qualibet Arte esse necessarias. Cap. I.

QUod in ceteris Artibus, quarum finis est aliquod opus, usu evenit, ut quinque propemodum res sint necessariæ, Ars, Artifex, Materia, Instrumenta, Finis; id quoque in Arte dicendi majorem in modum exigi debet. Ars est, per quam Artifex operatur. Artifex est, qui per Artem operatur. Materia est, circa quam Ars versatur, & Artifex. Instrumenta sunt, quibus opus ex Materia perficitur. Finis est opus ipsum ab Arte, & Artifice profectum. Esto exempli causa. Ars cælandi est, per quam cælator cælat. Aurum, argentum, aes, sunt Materia circa quam cælator, & Ars cælandi versantur. Cælum, lima, scobina, sunt Intrumenta, quibus Artifex in conformanda Materia utitur. Vas cælatum, sive signum, est Finis in Arte cælandi. Sed quia, ut Aristoteles ait, duo sunt genera Finium, alterum opus, alterum operatio; & in cælatura quoque duplex potest esse Finis, aut ipsum opus cælatum; aut bene cælare; pari modo in Arte dicendi opus est in primis Artificio, per quod Artifex operetur: id est Rhetorice, quæ Latine *Oratoria* dici potest. Opus est etiam Artifice, qui per Artem operatur: is est Rhetor, qui Latine *Orator*. Opus quoque est subjecta Materia, circa quam Rhetor, & Rhetorica, versentur: ea proprie est in triplici genere causarum, Demonstrativo, Deliberativo, Judiciali. Opus est præterea Instrumentis, quibus operetur, ingenio videlicet, multimoda eruditione, animi præstantia, voce, latere, decôre. Ad hæc opus est omnia superiora ad certum finem dirigere: is est Oratio apte composita, sive bene dicere ad persuadendum.

An Rhetorice sit Ars: & quid sit. Cap. II.

DUbitabit vero quispiam sitne Ars bene dicendi. Nam cum indocti, & barbari, & servi pro se loquuntur aliquid, dicunt simile principio, narrant, probant, confutant; &, quod vim habeat perorationis, deprecan-

cantur. Ante Thysian præterea, & Coracem, primos Artis inventores, multi fuere diserti, qui sola natura duce perorarunt causas. Sed quod sit Ars, confirmatur maximorum virorum auctoritate, qui libros de Arte Rhetorica inscripserunt: essetque indignum, si cum aliarum rerum, quæ sunt minus dignæ, sint Artes ab homnibus excogitatæ; Rhetoricen, maximum atque pulcherrimum opus, in tam sublime fastigium putemus sine Arte pervenisse. Erit igitur non solum Ars; sed quemadmodum apud Platonem Polus interroganti Socrati (1) respondit, omnium Artium pulcherrima.

Rhetorica verò ab Isocrate, Gorgia, Theodecte, aliisque compluribus, *Vis facultasque persuadendi* definitur. (2) Sed & pecunia interdum persuadet, & gratia, & auctoritas, & dignitas, & aspectus ipse sine voce. Persuadent etiam verbis meretrices, adulatores, mendici. Atque e diverso non semper Orator persuadet. Apollodorus Oratorem fortunæ subjicit, ut, si non persuaserit, non sit Orator. Aristoteles ab eventu excludit; cum dicit, Rhetoricen esse *vim inveniendi omnia in Oratione persuasibilia.* Celsus Rhetoricen non de veris, sed de similibus veri esse putat. *Non enim*, ait, *bona conscientia; sed victoria litigantis est præmium.* Quod, si verum esset; Rhetorica pessimo cuique arma daret ad nocendum. Sit igitur Rhetorices vera definitio *Ars bene dicendi.* Nam & Oratoris omnes partes complectitur, & mores, cum bene dicere non possit nisi bonus. In idem recidit Chrysippi sententia, cum dicit esse *Scientiam rectè dicendi.*

De Artifice. Cap. III.

SI igitur Oratoria est *Ars rectè dicendi*, erit certe Orator quemadmodum a M. Catone definitur (1) *Vir bonus dicendi peritus.* Verum id quod ille posuit prius; & ipsâ naturâ potius ac majus est, utique *vir bonus.* Quod

(1) *Lege*, Chærephonti Vide Platonis *Gorgian.*
(2) Quinct. *Instit. Orat. lib.* 2. *cap.* 15.
(1) Quinct. *Instit. Orat. lib.* 12. *cap.* 1.

Quod si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatisque rebus perniciosius eloquentiâ. Ipsa quoque rerum natura in eo, in quo præcipue indulsisse homini videretur, quoque nos a ceteris animalibus separasse; non parens, sed noverca fuerit, si facultatem dicendi, sociam scelerum, adversam innocentiæ, hostem veritatis invenit. Mutos enim nasci, & egere omni ratione, satius fuisset, quàm providentiæ munera in mutuam perniciem convertere. Longius tendit hoc judicium meum: neque enim tantum id dico, eum, qui sit Orator, virum bonum esse oportere; sed nec futurum quidem Oratorem, nisi virum bonum. Nam certe neque intelligentiam concesseris iis, qui propositâ honestorum ac turpium viâ pejorem sequi malint; neque prudentiam, cum gravissimas frequenter legum, semper vero malæ conscientiæ poenas a semetipsis improviso rerum exitu induantur. Quod si neminem malum esse nisi stultum eundem, non modo a sapientibus dicitur; sed vulgo quoque semper est creditum; certe non fiet unquam stultus, Orator. Adde quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens nisi vitiis libera potest. Primum quòd in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium: & cogitare optima simul, & deterrima, non magis est unius animi, quàm ejusdem hominis bonum esse, ac malum. Deinde quòd mentem tantæ rei intentam vacare omnibus aliis, etiam culpa carentibus, curis oportet. Præterea omnino Orator id agit, ut auditori quæ proposita fuerint, vera, & honesta videantur. Utrum igitur hoc facilius bonus vir persuadebit; an malus? Bonus quidem, & dicit sæpius vera, atque honesta: sed etiam, si quando aliquo ductus officio falso hæc affirmare conabitur, majore cum fide necesse est audiatur. At malis hominibus ex conceptu opinionis, & ignorantia recti nonnumquam excidit ipsa simulatio; frequenterque accidit, ut his etiam vera dicentibus fides non adhibeatur.

De Materia Rhetorices. Cap. IIII.

MAteria Rhetorices, ut plures maximique hujus Artis Auctores tradiderunt, (1) est omnis res, quæcumque ad dicendum subjecta erit. Nam & Socrates apud Platonem dicere Gorgiæ videtur, non in verbis esse Materiam; sed in rebus.

Et in *Phædro* palam non in judiciis modo, & in concionibus; sed etiam in rebus privatis ac domesticis Rhetoricen esse demonstrat. Et Cicero quodam loco Materiam Rhetorices vocat *Res*, *quæ subjectæ sunt ei*: sed certas demum putat esse subjectas. Aliubi verò de omnibus rebus Oratori dicendum arbitratur: his quidem verbis. *Quamquam vis Oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videatur, ut omni de re quæcumque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur.* Atque adhuc alibi. (2) *Verum enim vero Oratori quæ sunt in hominis vita, quandoquidem in ea versatur Orator, atque ea est ei subjecta Materies, omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent.* Dicet vero quispiam: *Omnium igitur Artium peritus erit Orator, si de omnibus ei dicendum est?* Possem hic Ciceronis respondere verbis: (3) *Mea quidem sententia nemo esse poterit omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus.* Sed mihi satis est, ejus esse Oratorem rei, de qua dicet, non inscium. Neque enim omnes *causas* novit: & debet posse de omnibus dicere. De quibus ergo dicet? De quibus didicit. Similiter de Artibus quoque, de quibus dicendum erit, interim discet: & de quibus didicerit, dicet. Quid ergo? (4) non aut faber de fabrica melius; aut de Musicè musicus? Si nesciat Orator quid sit, de quo quæratur; planè melius. Nam & litigator rusticus illiteratusque de cau-

(1) Inter quos Quinctilianus *Instit. Orat. lib.* 2. *cap.* 21.
(2) Cicero *de Orat. lib.* 3. *cap.* 14.
(3) Cicero *de Orat. lib.* 1. *cap.* 6.
(4) Quinct. *Instit. Orat. lib.* 2. *cap.* 21.

causa sua melius, quàm Orator qui nesciet quid in lite sit, dicet; sed accepta a Musico, a Fabro, sicut a Litigatore, melius Orator, quàm ipse qui docuerit. Verum & Faber cum de fabrica, & Musicus cum de Musica, si quod confirmationem desideraverit, dicet, non erit quidem Orator; sed faciet illud quasi Orator. Sicut cum vulnus imperitus deligavit, non erit Medicus; sed faciet ut Medicus. Gorgias quidem adeo Rhetori de omnibus putavit esse dicendum, ut se in auditoriis interrogari pateretur, quâ quisque de re vellet. Hermagoras quoque, dicendo materiam esse in *Caussa*, & in *Quæstionibus*, omnes res subjectas erat complexus. Sed quæstiones si negat ad Rhetoricen pertinere, dissentit a nobis. Si autem ad Rhetoricen pertinent, ab hoc quoque adjuvamur: nihil est enim quod non in *Caussam*, aut *Quæstionem* cadat. Aristoteles tres faciendo partes Orationis, *Judicialem*, *Deliberativam*, *Demonstrativam*, (5) pene & ipse Oratori subjecit omnia: nihil enim non in hæc cadit Nos verò dicamus, Materiam Rhetorices propriam tria esse Genera illa Caussarum, quæ primus omnium Aristoteles posuit: sicut Cælaturæ, argentum, aurum, & electrum: versari tamen aliquando circa Materiam, quæ sit aliarum Artium propria: quemadmodum aeris, & ferri, quâ quidem utuntur aeratius faber, atque ferrarius.

De Instrumentis Rhetoricæ. Cap. V.

INstrumenta præterea sunt necessaria, sine quibus formari materia in id quod velimus effici opus, non potest. Sed illa non tam ad Artem, quàm ad Artificem pertinent. Neque enim scientia desiderat Instrumentum, quæ potest esse consummata, etiam si nihil faciat. Sed illis opifex indiget; quemadmodum Cælator, cælo; & penicillo, Pictor. Sunt autem Instrumenta partim diligentiâ nostrâ comparata; partim naturalia: quanquam utraque inchoantur a natura; perficiuntur autem usu, & consuetudine. Itaque cognitio rerum naturalium, atque earum

(5) Aristoteles *Concionalem videtur appellare, quam alii Deliberativam.*

rerum, quæ hominis, qua homo eſt, propriæ ſunt. Peritia quoque Juris Civilis, atque Hiſtoriarum, Inſtrumenta Oratoris poſſunt appellari. Hæc arma (1) habere ad manum, horum ſcientiâ debet eſſe ſuccinctus; accedente verborum figurarumque facili copiâ, & *Inventionis*, ratione, & diſponendi uſu, & memoriæ firmitate; & *Actionis* gratia. Sed plurimum ex his valet animi præſtantia, quam nec metus frangat, nec acclammatio terreat, nec audientium auctoritas ultra debitam reverentiam tardet. Nam, ut abominanda ſunt contraria his vitia confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiæ; ita citra conſtantiam, fiduciam, fortitudinem, nihil Ars, nihil ſtudium, nihil profectus ipſe profuerit: ut, ſi des arma timidis, & imbellibus. Verecundia vitium quidem, ſed amabile, & quæ virtutes facillime generet; dicimus eſſe interim adverſam, multiſque in cauſſa fuiſſe, ut bona ingenii ſtudiique in lucem non prolata ſitu quodam ſecreti conſumerentur. Sciat autem, ſi quis hæc forte minus adhuc peritus diſtinguendi vim cujuſque verbi, leget, non probitatem a me reprehendi, ſed verecundiam: quæ eſt timor quidam reducens animum ab iis quæ facienda ſunt: inde confuſio, & cœpti pœnitentia, & ſubitum ſilentium. Quis porro dubitet vitiis aſcribere affectum, propter quem facere honeſte pudet? Neque ego rurſus volo eum, qui ſit dicturus, ſollicitum ſurgere, & colore mutari, & periculum intelligere: quæ ſi non accident, etiam ſimulanda erunt. Sed intellectus hic ſit operis, non metus: moveamurque, non concidamus. Optima eſt autem emendatio verecundiæ, fiducia: etiam quamlibet imbecilla frons, magnâ conſcientiâ ſuſtinetur. Sunt & naturalia, quæ tamen, & curâ juvantur, Inſtrumenta, vox, latus, decor: quæ qnidem tantum valent, ut frequenter famam ingenii faciant.

De

(1) Quinct. *Lib.* 12. *cap.* 5.

De Rhetorices Fine. Cap. VI.

QUemadmodum jam inde ab initio dictum est, auctore Aristotele, duplex est finis: alter operatio, ut citharædi citharam pulsare: alter opus ipsum, ut fabri lignarii, cithara; ita duplex est Finis Rhetoricæ: opus ad quod omnia Artis præcepta diriguntur: idque est Oratio ad id quod dicendum est apte composita: vel potius apte dicere ad persuadendum, etiamsi non persuadeat: Quæ est operatio. Nam sicut in Rhetorices definitione diximus, multa alia sunt quæ persuadent: & tamen ad Rhetoricam non pertinent. Isocrates Rhetoricen vim persuadendi Opificem esse dicit. Cui astipulatur Gorgias in Platonis Dialogo: qui Gorgiæ ipsius nomine de *Rhetorica* inscriptus est. Sed tandem a Socrate coactus (1) Vim dicendi persuadendi Finem Rhetorices esse confitetur. A quo non dissentit Theodectes, sive ipsius id opus est, quod de Rhetorice nomine ejus inscribitur; sive, ut creditum est, Aristotelis: in quo est scriptum, Finem esse Rhetorices ducere homines dicendo in id, quod Orator velit. Cicero in hac parte sibi non satis constat: nam pluribus in locis scripsit, Oratoris Officium esse dicere apposite ad persuadendum. In Rhetoricis etiam, quos sine dubio ipse non probat, Finem facit persuadere. Quod si verum est, (2) præstabit hunc semper Orator: semper enim bene dicet. Firmum autem hoc, quod opponitur adversus eos, fortasse sit, qui persuadere Finem putaverunt. Noster Orator Arsque a nobis finita non sunt posita in eventu. Tendit quidem ad victoriam qui dicit: sed cum bene dixit, etiamsi non vincat, id quod Arte continetur, efficit. Nam & gubernator vult salva nave in portum pervenire: si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator: dicetque notum illud, *Dum clavum rectum teneam.* Et Medicus sanitatem ægri petit: si tamen, aut valetudinis

(1) Quinct. *Lib.* 2. *cap.* 15.
(2) Quinct. *Lib.* 2. *cap.* 17.

vi, aut intemperantiâ ægri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinæ fine non excidet. Ita Oratori bene dixisse Finis est: nam est Ars ea in actu posita; non in effectu. Quæ igitur de Arte, Artifice, Materia, Instrumentis, & Fine Rhetorices in genere dicenda fuerunt, breviter perstrinximus. Nunc partes illius prosequemur.

De quinque Artis Rhetoricæ Partibus. Cap. VII.

QUinque Rhetoricæ Partes oportet esse in Oratore, (1) *Inventionem*, *Dispositionem*, *Elocutionem*, *Memoriam*, *Pronunciationem*, sive *Actionem*: nam utroque modo dicitur. *Inventio* est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quæ caussam reddunt probabilem. *Dispositio* est ordo & distributio rerum, quæ demonstrat, quid, quibusque in locis sit collocandum. *Elocutio* est idoneorum verborum, & sententiarum ad inventionem accommodatio. *Memoria* est firma animi rerum, & verborum, & dispositionis, perceptio. *Pronunciatio* est vocis, vultûs, & gestûs, moderatio cum venustate.

His quinque partibus ut plurimi maximique Auctores tradiderunt, omnis Orandi ratio constat. (2) Sermo namque, quo quidem voluntas aliqua enunciatur, habeat necesse est, & rem, & verba. Ac si brevis est, & una conclusione finitur; nihil fortasse ultra desiderat: at Oratio longior plura exigit: nam opus est in primis multa invenire: ac deinde inventa suo quæque loco disponere. Neque tantum refert quid, & quo ordine dicamus: sed quomodo: opus est igitur Elocutione. Sed neque omnia, quæ res postulat, dicere; nec suo quæque loco poterimus, nisi adjuvante Memoria. Quapropter ea pars quarta erit. Verum hæc omnia corrumpit, ac propemodum perdit indecora, vel voce, vel gestu, Pronunciatio. Huic igitur necessario tribuendus est quintus locus. His adjecerunt quidam sextam Partem, ita ut Inventioni subne-

(1) Cornificius ad Herennium, *Lib.* 1. *cap.* 2.
(2) Quinct. *Instit. Orat. lib.* 3. *cap.* 3.

necterent, Judicium; quia primum esset invenire; deinde, judicare. Ego porro nec invenisse eum credo, qui non judicavit. Neque enim contraria, communia, stulta invenisse dicitur quisquam; sed non vitasse. Et Cicero quidem in Rhetoricis Judicium subjecit Inventioni. Mihi autem tribus primis partibus videtur esse permixtum: nam neque Dispositio sine eo, nec Elocutio fuerit: ut Pronunciationem quoque vel plurimum ab eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quod in Partitionibus Oratoriis ad easdem de quibus supra dictum est, quinque pervenit Partes. Nam cum dupliciter primum divisisset Inventionem ac Elocutionem; Res, ac Dispositionem Inventioni; verba, & Pronunciationem Elocutioni dedit: Quintamque constituit communem ac velut custodem omnium, *Memoriam*. Quod vero paulo ante diximus de Judicio, non modo Inventioni, sed aliis quoque Rhetorices Partibus permixtum; (3) nunc mea quidem opinione latius adhuc patere videtur, ut ne a sententiis quidem ac verbis saltem singulis possit separari. Nec magis Arte traditur, quàm gustus, aut odor. Ideoque nos quid in quaque re sequendum cavendumque sit, docebimus, ut ad ea judicium dirigatur. Præcipiam igitur, ne, quod effici non potest, aggrediamur: ut contraria vitemus, & communia: ne quid in eloquendo corruptum, obscurumque sit. Quod referatur oportet ad sensus, qui non docentur. A Judicio non multum distat Consilium: differunt tamen: quod illud ostendentibus se adhibetur; hoc latentibus, aut omnino nondum repertis, aut dubiis.

De Inventione; *& primo de Divisione Caussarum secundum substantiam, & secundum accidens.* Cap. VIII.

AD Inventionem, quam diximus esse primam Rhetorices partem, Quinctilianus refert (1) tria Genera Caussarum: *Demonstrativum*, *Deliberativum*, *Judiciale*. Ad eandem quoque refert tres Status Caussarum, *Conjecturalem*, *Legitimum*, *Juridicialem*. Sex præterea Orationis partes, *Exor-*

(3) Quinct. *Instit. Orat. lib. 6. cap. 5.* (1) *Instit. Orat. lib. 3. cap. 3.*

Exordium, *Narrationem*, *Divisionem*, *Confirmationem*, *Confutationem*, *Perorationem*. De quibus singulis breviter disserendum est: atque in primis de tribus Caussarum Generibus, quas supra diximus esse Rhetorices Materiam propriam. Alioqui nihil est, de quo non possit Orator dicere: nam & conqueri potest, & consolari, & mitigare, & concitare, & terrere: confirmare, præcipere, obscure dicta interpretari, narrare, deprecari, gratias agere, gratulari, objurgare, execrari, describere, mandare, renunciare, optare, opinari, & alia hujusmodi: quæ proprie in nullo trium illorum Generum continentur. Igitur Genera Caussarum, quæ recipere debet Orator, tria sunt: (2) *Demonstrativum*, *Deliberativum*, *Judiciale.*

Demonstrativum Genus est, quod attribuitur in alicujus certæ Personæ laudem, aut vituperationem. *Deliberativum* Genus est, quod positum in consulatione habet in se suasionem aut dissuasionem. *Judiciale* est, quod positum in controversia habet in se Accusationem, aut Petitionem, cum Defensione. Sed hæc divisio causæ secundum illius substantiam facta est: hoc est, Generis in suas formas; & formarum rursus in subjectas species.

Est & altera Caussæ divisio secundum accidens in quattuor Genera: (3) *Honestum*, *Turpe*, *Dubium*, *Humile.*

Honestum Genus Caussæ putatur, cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum videtur; aut oppugnamus, quod ab omnibus videtur debere oppugnari: ut pro viro forti contra paricidam.

Turpe Genus Caussæ intelligitur, cum aut honesta res oppugnatur; aut defenditur turpis, ut pro paricida contra virum fortem.

Dubium Genus est, quod habet in se partem honestatis, & turpitudinis partem: ut, si accusetur, aut defendatur adulter, qui Tyrannum occidit.

Humile Genus Caussæ est, cum res contemnenda anteferfer-

(2) Cornificius *Rhetor. Lib.* 1. *cap.* 2.
(3) Cornificius *Lib.* 1. *cap.* 3.

fertur. Quinctilianus (4) addit quintum Genus, hoc est, *Admirabile*, quod opponitur *Humili*. Hoc *Adoxon* appellat, quod in nulla sit hominum opinione: illud, *Paradoxon*, quod sit admirabile, hoc est, præter hominum opinionem: ut, si velimus ostendere quod nemo peccat nisi ignorans: aut, quod nihil est bonum, nisi quod sit honestum. Proposita igitur aliquâ Caussâ, vel data oratione, quæ sit ex Arte profecta; primo attendendum est, quod sit Genus Caussæ: puta, Oratio *pro Milone*, manifestum est, quod sit in Genere *Judiciali*: & in ejus Generis specie alterâ, hoc est, Defensione; tum quærendum est de Caussæ Statu, nam tres sunt, quemadmodum statim dicemus.

De Caussæ Statu. Cap. IX.

CUm omnis Caussa aliquo Statu contineatur, primo dicendum est quid sit *Status*: tum, quot, & qui sint *Status*, quos Cicero, *Constitutiones*, vulgus Jurisconsultorum, *Litium contestationes* appellat. Quæ non modo in Genere Judiciali; sed in aliis quoque Generibus quæri debent: quemadmodum paulo post dicemus. Dictus est autem *Status*, (1) quod in eo sit primus Caussæ congressus, vel quod in hoc Causa consistit: & nominis quidem hæc origo: nunc, quid sit. *Statum* quidam dixerunt *primam Caussarum conflictionem*, quos recte sensisse, parum elocutos puto: non est enim *Status* prima conflictio; sed quod ex prima conflictione nascitur. Ut si quis dicat: *Sonus est duorum corporum conflictio*, erret, ut opinor: non enim sonus est conflictio; sed ex conflictione provenit. Esto exempli Caussa, *Occidisti hominem*: *Non occidi*: nondum est Status Caussæ; sed Quæstio quæ suboritur: *An occiderit*. Unde & a quibusdam *Quæstio*: ab aliis *Caput* est appellatum. Quod vero dictum est Statum esse *primam Caussæ conflictionem*, plerosque in errorem induxit, qui crediderunt, *Statum* semper ex prima Quæstione ducendum: quod est vitiosissimum. Nam quæstio

(4) *Instit. Orat. lib. 4. cap. 5.*
(1) Quinct. *Lib. 3. cap. 6.*

ſtio nulla non habet utique & *Statum*: conſtat enim ex Intentione, & Depulſione. Sed aliæ Quæſtiones ſunt propriæ Cauſſarum, de quibus ferenda ſententia eſt: aliæ adductæ extrinſecus, aliquid tamen ad ſummam Cauſſæ conferentes: velut auxilia quædam. Quo fit ut in controverſia unâ plures Quæſtiones eſſe dicantur. Porro harum leviſsima quæque primo loco fungitur. Namque & illud frequens eſt, ut ea quibus minus confidimus, cum tractata ſint, omittamus; interim ſponte noſtra velut donantes, interim ad ea quæ ſunt potentiora, gradum ex his feciſſe contenti. Simplex autem Cauſſa etiamſi varie defenditur, non poteſt habere plus uno, de quo pronuncietur: atque inde erit *Status Cauſſæ*: quod & Orator ſibi præcipue obtinendum; & Judex ſpectandum maxime intelligit, in hoc enim *Cauſa* conſiſtit. Cæterum Quæſtionum *Status* poſſunt eſſe diverſi. Quod, ut breviſsimo pateat exemplo, cum Reus dicit: *Non occidi*, Conjecturalis *Status* naſcitur: ſemper autem firmius eſt non feciſſe. Itaque *Statum* eſſe in eo judicabo quod dicerem: ſi mihi pluſquam unum dicere non liceret. Quod ſi Reus diceret, *Occidi*; *ſed jure Occidi*, Qualitatis utitur *Statu*: eſtque Quæſtio, *An jure occiderit*? Recte igitur eſt appellata *Cauſſarum prima conflictio*; non *Quæſtionum*. Sic in cauſſa *pro Milone* circa primas Quæſtiones, quæ ſunt ante Narrationem poſitæ, non judicabo *conflixiſſe Cauſſam*: ſed, ubi totis viribus inſidiator, Clodius, ideoque jure interfectus oſtenditur. Et hoc eſt quod ante omnia conſtituere in animo ſuo debet Orator, etiamſi pro Cauſſa plura dicturus eſt, quid maxime liquere Judici velit.

De triplici Cauſſarum Statu. Cap. X.

STatus Cauſſarum alii plures, alii pauciores eſſe dixerunt. Cicero (1) tres ponit, *Conjecturalem*, *Legitimum*, *Juridicialem*. *Conjecturalis* eſt, cum de facto controverſia eſt: ut, *Occidiſti*: *Non Occidi*. Hic de facto quæritur, quod per conjecturas tamen aſſequi poſſumus, un-

(1) Cornificius *ex Hermete*, *Doctore ſuo*, *lib.* 1. *cap.* 22.

unde & *Conjecturalis* dictus: cognominatur quoque *Inficialis* ab eo quod reus negat id, quod actor intendit. *Legitima* Constitutio est, cum in Scripto, aut ex Scripto aliquid controversiæ nascitur. Ea dividitur in partes sex, in *Scriptum*, & *Voluntatem*, sive *Sententiam*: in *Contrarias Leges*, in *Ambiguum*, in *Definitionem*, in *Translationem*, in *Ratiocinationem*.

Ex *Scripto*, & *Sententia* nascitur controversia, cum videtur Scriptoris Voluntas cum scripto ipso dissentire.

Ex *contrariis Legibus* controversia constat, cum alia Lex jubet, aut permittit; alia vetat quidpiam fieri.

Ex *Ambiguo* Controversia nascitur, cum res in unam sententiam scripta, duos, aut plures sensus significat.

Ex *Definitione* constat Caussa cum in controversia est, quo nomine factum appelletur. Puta, furtum, an sacrilegium: paricidium, an homicidium.

Ex *Translatione* Constitutio nascitur, cum, aut Tempus differendum, aut Accusatorem mutandum, aut Judices declinandos Reus dicit.

Ex *Ratiocinatione* Controversia constat, cum res sine propria Lege venit in judicium; quæ tamen ab aliis Legibus similitudinem quandam aucupatur.

Juridicialis Constitutio est, cum inter actorem, & reum de facto convenit; sed jure, an injuriâ factum sit, quæritur. Ejus Constitutionis partes sunt duæ, quarum una, *Absoluta*; altera, *Assumptiva* nominatur. *Absoluta* est cum id ipsum quod factum est, ut aliud nihil foris assumatur, recte factum esse dicemus. Ea est hujusmodi: *Occidisti*: *Occidi*. Hic factum nihil extra sumendo, jure & æquitate defenditur. *Assumptiva* pars est, cum per se Defensio infirma est: sed assumpta extraneâ re comprobatur. *Assumptivæ* partes sunt quatuor, (2) *Concessio*, Criminis *Remotio*, *Translatio* criminis, *Comparatio*.

Concessio est cum Reus postulat sibi ignosci. Idque, aut *purgando* se, quod non consulto fecerit; sed aut per fortunam, aut per imprudentiam, aut per necessitatem.

C Aut

(2) Cornificius *Rhetor. ad Herenn. lib.* I. *cap.* 14.

Aut *deprecando*, cum & peccasse se & consulto Reus fecisse confitetur: & tamen postulat ut Judex sui misereatur.

Ex *Remotione* criminis causa constat, cum a nobis non crimen; sed culpam ipsam amovemus: & vel in Hominem transferimus; vel in Rem quampiam conferimus.

Ex *Translatione* criminis Caussa constat, cum fecisse nos non negamus; sed aliorum peccatis coactos fecisse dicimus: Ut *Orestes* cum se defendit, in Matrem confert crimen, quod illa Patrem occiderit.

Ex *Comparatione* Caussa constat cum dicimus necesse fuisse alterutrum facere: & id quod fecerimus satius fuisse facere. Quæ igitur Constitutiones; & quæ Constitutionum partes sint, satis videor ostendisse.

De Ratione, Judicatione, & Continenti. Cap. XI.

IGitur reperto Caussæ Statu, *Ratio* quærenda est. *Ratio est*, (1) *quæ Caussam facit*, & *continet Defensionem*: hoc modo. Orestes, cum confitetur se occidisse Matrem, nisi attulerit facti rationem, pervertit Defensionem. Ergo affert eam, quæ nisi iutercederet, ne Caussa quidem esset. *Illa enim*, inquit, *Patrem meum occiderat*. Ergo, ut ostendi, Ratio ea est, quæ continet Defensionem: sine qua ne parva quidem dubitatio potest remorari damnationem.

Inventâ Ratione *Firmamentum* quærendum est: idest, quod Accusationem continet, & quod affertur contra Rationem Defensionis, de qua ante dictum est. Id constituetur hoc modo. Cum usus fuerit Orestes Ratione, hoc pacto, *Jure occidi: illa enim Patrem meum occiderat*; utetur Accusator Firmamento hoc modo. *Sed non abs Te tamen occidi, neque indemnatam pœnas pendere oportuit*. Ex *Ratione* Defensionis, & ex *Firmamento* Accusationis Judicii *Quæstio* nascatur, oportet: quam nos *Judicationem*, Graeci *Crinomenon* appellant. Ea constituitur ex conjunctione Firmamenti, & Rationis defensione, hoc modo. Cum dicat Orestes, *Se Patris ulciscendi caussâ Matrem occidisse*, rectumne fuerit, a filio sine judicio Clytæmnestram

(1) Cornificius *Lib.* 1. *cap.* 16.

ſtram occidi. Ergo hac Ratione Judicationem reperire convenit. Reperta Judicatione, omnem rationem totius Rationis eò conferri oportebit. In omnibus Conſtitutionibus, & partibus Conſtitutionum, hac via Judicationes reperientur præterquam in *Conjecturali Conſtitutione.* Nam in ea nec Ratio quare fecerit, quæritur: feciſſe enim negatur: nec Firmamentum exquiritur: quia nec ſubeſt Ratio. Quare ex Intentione, & ex Inficiatione Judicatio conſtituitur hoc modo. Intentio eſt, *Occidiſti Ajacem.* Inficiatio, *Non occidi.* Judicatio, *Occideritne.* Ratio omnis utriuſque Orationis, ut ante dictum eſt, ad hanc Judicationem conferenda eſt.

Si plures erunt Conſtitutiones, aut partes Conſtitutionum, Judicationes quoque plures erunt in una Cauſſa: ſed omnes ſimili modò reperientur. Sed ea quæ de Statu, Ratione, Judicatione, & Continenti dicta ſunt, videntur ad Judiciales tantum materias pertinere: quorum inſcitiam cum omnia tria Genera fuerimus executi, res ipſa deprehendet. Nam cum omnis Cauſſa poſita ſit in Controverſia; neceſſe eſt ex Statu ſuboriatur Quæſtio generalis: puta, in Genere Demonſtrativo, ſiquis Uticenſis Catonis laudandi provinciam ſuſceperit; Cæſar qui in illum duos Anticatones ſcripſit, vituperandum eſſe potius dicat; maxima Quæſtio ex Statu ſuboritur: *An Cato ſit laudandus*? Atque in Deliberativo rurſus, ſiquis ſuadere velit bellum in Mauritanos gerendum, alius vero diſſuadeat; ſumma Quæſtio erit, *An bellum in illos ſit gerendum.* Quod ſi rurſus Adverſarius admittat gerendum, ſed non hoc tempore, aut tanto apparatu, aut tali genere, aut ſub illo Duce belli; alii eſſent Status Cauſſarum: proinde, aliæ Quæſtiones.

De ſex Orationis Partibus. Cap. XII.

I*Nventio*, inquit Cicero, (1) in ſex Orationis partes conſumitur: in *Exordium*, *Narrationem*, *Diviſionem*, *Confirmationem*, *Confutationem*, & *Concluſionem.* *Exor-*

 dium

(1) Cornificius *ad Herennium*, *Rhetorico primo*, *cap.* 3.

dium eſt Principium Orationis, per quod animus Auditoris, aut Judices, conſtituitur, vel apparatur, ad audiendum. *Narratio* eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum expoſitio. *Diviſio* eſt, per quam aperimus quid conveniat: & quid in controverſia ſit: & per quam exponimus quibus de rebus ſimus dicturi. *Confirmatio* eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeveratione. *Confutatio* eſt contrariorum locorum diſſolutio. *Concluſio* eſt Artificioſus terminus Orationis.

Fuerunt & clari quidem Auctores, (2) quibus ſolum videretur Oratoris officium docere. Namque, & Affectus duplici ratione excludendos putabant: primum, quia vitium eſſet omnis animi perturbatio; deinde, quia Judicem a veritate depelli miſericordiâ, vel irâ, ſimilibuſque, non oporteret: & Voluptatem Audientium petere, cum vincendi tantum gratia diceretur, non modo agenti ſupervacuum; ſed vix etiam viro dignum arbitrabantur. Plures vero qui nec ab illis ſine dubio partibus rationem orandi ſubmoverent; hoc tamen proprium atque præcipuum crederent opus, ſua confirmare; & quæ ab Adverſario proponerentur; refutare.

Hoc in loco videtur commodiſsime tractari poſſe Quæſtio illa, ſitne Oratori licitum fallere Judicem in perſequendis litibus; aut Senatorem, in conſulationibus; aut in concionibus, Populum; atque pro communi omnium utilitate aliquando mentiri. Quod ſi Orator eſt vir bonus dicendi peritus, quid turpius, & bono viro indignius, quàm ob ullam Cauſſam mentiri? Atqui ſi hoc aliquando non liceret; qui de Arte Rhetorica ſcripſerunt, (3) non de Coloribus, de Confeſſo, & de difficilium Cauſſarum Defenſione præcepta tradidiſſent: niſi aliquando vis, & facultas dicendi expugnaret ipſam veritatem. Quibus ego cum de Arte primum reſpondero; etiam pro viri boni officio, ſi quando eum ad defenſionem nocentium ratio duxerit, ſatisfaciam. Pertractare enim

(2) Quinct. *Lib.* 5. *in Proœmio.*
(3) Quinct. *Lib.* 12. *cap.* 1.

enim quomodo aut pro falsis; aut etiam pro injustis aliquando dicatur, non est inutile, vel propter hoc solum, ut ea facilius, & deprehendamus, & refellamus: quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota quæ nocent, fuerint. Neque enim Academici, cum in utramque disserunt partem, non secundum alteram vivunt. Neque Carneades ille, qui Romæ, audiente Censorio Catone, non minoribus viribus contra Justitiam dicitur disseruisse, quàm pridie pro Justitia dixerat, injustus ipse vir fuit. Verum, & virtus quid sit, adversa ei malitia detegit: & æquitas fit ex iniqui contemplatione manifestior: & plurima conrrariis probantur. Debent ergo Oratori sic esse Adversariorum nota consilia, ut hostium, Imperatori. Verum & illud quod primâ propositione durum videtur, potest afferre ratio, ut vir bonus in defensione Caussæ velit auferre aliquando Judici veritatem. Quod si quis a me proponi mirabitur; (quanquam non est hæc mea proprie Sententia; sed eorum, quos gravissimos sapientiæ Magistros ætas vetus credidit) sic judicet, pleraque esse, quæ non tam factis, quàm Caussis eorum, vel honesta fiant, vel turpia. Nam, si hominem occidere sæpe virtus; liberos necare, nonnunquam pulcherrimum est; asperiora quædam adhuc dictu, si communis utilitas exegerit, facere conceditur. Ne hoc quidem nudum est intuendum, qualem Caussam vir bonus; sed etiam quare, & qua mente, defendat. *Ac primum concedant mihi omnes oportet*, (4) *quod Stoicorum quoque asperrimi confitentur, facturum aliquando bonum virum, ut mendacium dicat: & quidem nonnumquam levioribus caussis: uti pueris ægrotantibus utilitatis eorum gratiâ multa fingimus: multa non facturi promittimus: nedum si ab*

(4) Incaute descripsit Antonius Nebrissensis Quinctiliani *verba ex Institutionum Oratoriarum lib. 12. cap.* 1. Cui nemo concedere debet, neque potest, quod contrarium est octavo, & obiter etiam quinto Divini Decalogi præcepto. Itaque tota hæc disputatio & falsa, & absurda est: & homine Christiano indigna: ideoque aliis literarum formis eam excudi jussimus.

ab homine occidendo grassator avertendus sit ; aut hostis pro salute patriæ fallendus : ut hoc quod aliàs in servis quoque reprehendendum est, sit aliàs in ipso sapiente laudandum. Id si constiterit ; multa jam video posse evenire, propter quæ Orator bene suscipiat tale Caussæ genus, quale remotâ ratione honestâ non suscepisset. Sit aliquis insidiatus Tyranno ; atque ob id Reus : utrumne salvum eum nolet is, qui nobis finitur Orator ? An si tuendum susceperit ; non tam falsis defendet, quàm qui apud Judices malam Caussam tuetur ? Quid ? Si quædam benefacta damnaturus est Judex ; nisi ea non esse facta convicerimus ; non vel hoc modo servabit Orator non inocentem modo, sed etiam laudabilem civem ? Quid ? Si quædam justa naturâ ; sed conditione temporum inutilia Civitati sciemus ; nonne utemur Arte dicendi, bonâ quidem, sed malis Artibus simillima ? Da nunc ut crimine manifiesto prematur vir bonus, & sine quo vincere honeste Civitas non posit ; nonne ei communis utilitas Oratorem advocabit ? Non igitur fuerit ab re, quod videmus a Concionatoribus fieri, ut Religionis timore Auditores afficiant : multa fingere, multa simulare, dissimulareque nonnumquam, etiam aliquando mentiri. Nam quid ego de Divo Hieronymo dicam, qui ut Eustochium virginem a sæcularium literarum studio deterreret, simulavit se ante Tribunal Judicis verberatum, propterea quod Ciceronis libros legebat ? Lege Apologiam illius ad Ruffinum, in qua fatetur merum illud somnium fuisse : neque somniis esse credendum : præsertim cum illud terrendæ Virginis caussa scripserit. Hæc omnia eò pertinent, ut ostenderemus ad præparandos Auditores non modo necessarias esse partes illas Orationis, quæ Atheniensium decreto sunt Oratoribus probibitæ ; verum etiam aliquando esse opus falsis, aut apparentibus argumentis, si id facere fuerit e re publica. Nunc de singulis Orationis partibus desseremus.

De

De Exordio. Cap. XIII.

QUod *Principium* Latine, (1) vel *Exordium* dicitur, majore quadam ratione Græci videntur *Procemium* nominaſſe: quod a noſtris *Initium* modo ſignificaturi, illi ſatis clare partem hanc eſſe ante ingreſſum rei, de qua dicendum ſit, oſtendunt. Nam ſive propterea quod *οἴμη* eſt *cantus*, & citharœdi pauca illa, quæ antequam legitimum certamen inchoent, emerendi favoris gratia canunt, *Procemium* vocaverunt; Oratores quoque ea quæ prius quam Cauſſam exordiantur, ad conciliandos ſibi Judicum animos præloquuntur, eâdem apellatione ſignarunt. Sive quod *οἶμον* iidem Græci *viam* apellant, id, quod ante ingreſſum rei ponitur, ſic vocare eſt inſtitutum; certe *Procemium* eſt, quod apud Judicem dici prius quam Cauſſam cognoverit, proſit.

Exordiorum duo ſunt Genera: *Principium*, quod Græce apellatur *Procemium*, & *Inſinuatio*, quæ *Epodos* nominatur. *Principium* eſt, (2) quo ſtatim Auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita ſumitur, ut *Attentos*, ut *Dociles*, ut *Benivolos*, Auditores habere poſsimus.

Attentos habebimus, ſi pollicebimur, nos de rebus magnis, novis, inuſitatis, verba facturos: aut de iis rebus, quæ ad rempublicam pertineant; aut ad eos ipſos qui audient; aut ad Deorum immortalium Religionem, (3) aut pietatem nos eſſe dicturos: &, ſi rogabimus, ut attente audiant: & ſi numero exponemus res, de quibus dicturi ſumnus.

Dociles habere poterimus, ſi ſummam Cauſſæ breviter exponemus: & ſi attentos eos faciemus: nam docilis eſt ille, qui attente vult audire.

Be-

(1) Quinct. *Inſtit. Orat. lib.* 4. *Initio.*
(2) Cornific. *lib.* 1. *Rhetor. cap.* 4.
(3) Deſcripſit hoc Nebriſſenſis *ex Rhetorico primo ad Herennium, cap.*4. Debuerat autem Ethniciſmum tollere: quemadmodum in aliorum tranſcriptione multa reſęcavit, & omiſit.

Benivolos Auditores facere quatuor modis possumus: a Nostra, ab Adversariorum, ab Auditorum Persona, & a Rebus ipsis.

A nostra Persona (4) benevolentiam contrahemus, si nostrum officium sine arrogantia laudabimus: aut in rempublicam quales fuerimus; aut in parentes, aut in amicos; aut in eos ipsos, qui audiunt, aliquid referemus: dummodo hæc omnia ad eam ipsam rem, de qua agitur, sint acommodata. Item, si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem: & si orabimus ut nobis sint auxilio, & si simul ostendemus in aliis spem nos habere noluisse.

Ab Adversariorum Persona benevolentia captabitur, si eos in odium, in invidiam, in contemptionem adducemus.

In Odium rapiemus, si quid eorum spurce, superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter, malitiose, flagitiose factum proferemus.

In Invidiam trahemus, si vim, potentiam, factionem, divitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hospitium, sodalitatem, affinitates Adversariorum proferemus: & his adjumentis magis quàm veritati eos confidere aperiemus.

In Contemptionem adducemus, si inertiam, ignaviam, desidiam, luxuriam Adversariorum proferemus.

Ab *Auditorum* Persona benevolentia colligetur, si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice judicatas dicemus: & quæ de his æstimatio; & quæ Judicii spes sit, aperiemus.

A *Rebus* ipsis benivolum efficiemus Auditorem, si nostram Caussam laudando extollemus; Adversariorum, per contemptionem deprimemus.

Tria sunt tempora (5) quibus Principio uti non possumus, quæ diligenter sunt consideranda. Aut cum turpem Caussam habemus: hoc est, cum ipsa res animum Audi-

di-

(4) Idem Cornificius *lib.* 1. *cap.* 5.
(5) Cornificius *lib.* 1. *cap.* 6.

ditoris a nobis alienat: aut cum animus Auditoris persuasus esse videtur ab iis qui ante contra dixernnt: aut cum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt.

Si Caussa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: hominem, non rem; aut rem, non hominem spectari oportere: non placere nobis ipsis, quæ facta dicantur ab Adversariis: & esse indigna, aut nefaria. Deinde cum res auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus: aut aliquorum Judicium de simili Caussa, aut de eâdem, aut de minori, aut de majori proferemus. Deinde ad nostram Caussam pedetentim accedemus: & similitudinem conferemus. Item, si negabimus, nos de Adversariis, aut de aliqua re eorum dicturos: & tamen occulte dicemus interjectione verborum. Si persuasus Auditor fuerit: id est, si Oratio Adversariorum Auditoribus fidem fecerit, his nos rebus insinuabimus ad Caussam. De eo quod Adversarii firmissimum sibi adjumentum putaverunt, primum nos dicturos pollicebimur: aut ab Adversarii dicto exordiemur, & ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit: aut dubitatione utemur, quid potissimum dicamus: aut cui loco primum respondeamus cum admiratione. Si defessi erunt audiendo, ab aliqua re quæ risum movere posit, exordiemur: ab Apologo, a Fabula verisimili. Si promiserimus aliter, ac parati fuerimus, nos esse dicturos; nos non eodem modo, ut cæteri soleant, verba facturos. Quid alii faciant; quid nos facturi simus, breviter exponemus.

Inter *Principium*, & *Insinuationem* hoc interest: (6) quod *Principium* ejusmodi debet esse, ut statim apertis rationibus quas præscripsimus, aut benivolum, aut attentum, aut docilem faciamus Auditorem: at *Insinuatio* ejusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendo pervenire possimus. Verum hæ tres utilitates tametsi in tota Oratione sunt comparandæ, hoc est, ut Auditores sese perpetuo nobis attentos, dociles,

D &

(6) Cornificius *Lib.* 1. *cap.* 7.

& benivolos præbeant; tamen hoc per Exordium Caussæ maxime comparandum est.

In exordienda Caussa illud est servandum, ut lenis sit sermo, ut usitata verborum consuetudo, ut non apparata Oratio esse videatur.

Vitiosum Exordium est, quod in plures Caussas potest accomodari, quod & *Vulgare* dicitur. Item *Vitiosum* est, quo nihilominus Adversarius uti potest: quod *Commune* apellatur. It.m illud, quo Adversarius ex contrario poterit uti. Item *Vitiosum* est: quod nimium apparatis verbis compositum est: aut nimis longum est: & quod non ex ipsa Caussa natum videtur: quod *Separatum* vocatur (in quo etiam *Translatum* includitur) ut prope cohæreat cum Narratione, & quod neque benivolum, neque docilem, neque attentum facit Auditorem.

De Narratione. Cap. XIIII.

MAxime naturale est, (1) & fieri frequentissime solet, ac debet, ut præparato per hæc, quæ dicta sunt, Auditore, res, de qua pronunciaturus est, indicetur. Plerique semper narrandum putaverunt, quod falsum esse pluribus coarguitur. Sunt enim ante omnia quædam tam breves Caussæ, ut Propositionem potius habeant, quàm Narrationem. Id accidit aliquando utrique parti, cum vel nulla expositio est, vel de re constat: sed de jure quæritur: ut, *Filiusne, an frater debeat esse intestato hæres: Pubertas annis, an habitu corporis æstimetur.* Aut cum est quidem in re Narrationi locus; sed ante aut Auditori nota sunt omnia; aut priore loco recte exposita. Sed ut has aliquando non narrandi Caussas puto; sic ab illis dissentio, qui non esse Narrationem existiment, cum reus, quod objicitur, tantum negat. Ego autem magnos secutus Auctores, duas esse in Judiciis Narrationum species existimo: alteram ipsius Caussæ; alteram rerum ad Caussam pertinentium Expositionem. *Non occidi hominem*, nulla Narratio est: convenit: sed erit

(1) Quinct. *Lib. 4. cap. 2. Initio.*

erit aliqua & interim etiam longa circa argumenta ejus criminis de ante acta vita, de Caussis propter quas innocens in periculum deducatur; de aliis quibus incredibile id, quod objicitur, fiat. Cumque *Procemium* idcirco comparatum sit, ut Auditor ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior, & intentior; & Probatio nisi Caussa prius cognitâ, non possit adhiberi; protinus Judex notitia rerum instruendus videtur. Sed hoc quoque interdum mutat conditio Caussarum: nisi forte. M Tullius in oratione pulcherrima, quam pro Milone scriptam reliquit, male distulisse Narrationem videtur; tribus præpositis Quæstionibus: aut profuisset exponere quomodo insidias Miloni fecisset Clodius, si reum qui a se hominem occisum fateretur, defendi omnino fas non fuisset: aut si jam præjudicatione Senatûs Milo damnatus esset: aut Cn. Pompejus, qui propter aliquam gratiam Judicium militibus armatis clauserat, tanquam adversus existimaretur. Ergo hæ quoque Quæstiones vim *Procemii* obtinebunt, cum omnes Judicem præparaverint. Narrationum igitur tria sunt Genera. (2) Unum cum exponimus rem gestam, & unumquodque trahimus ad utilitatem nostram vincendi caussâ: quod pertinet ad eas Caussas de quibus Judicium futurum est. Alterum, quod intercurrit nonnunquam, aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut alicujus apparationis, vel laudationis caussâ. Tertium genus est, quod a Caussa Civili remotum est: in quo tamen exerceri convenit, quo commodius illas superiores Narrationes in Caussis tractare possimus.

Ejus Narrationis duo Genera sunt: unum quod in Negotiis; alterum quod in Personis positum est. Id quod in Negotiorum expositione positum est, tres habet partes, *Fabulam*, *Historiam*, *Argumentum*.

Fabula est, quæ neque veras, neque verisimiles continet res; ut hæ, quæ a tragoedis traditæ sunt.

Historia est res gesta; sed ab ætatis nostræ memoriâ remota.

(2) Cornific. *Lib.* 1. *Rhetor. ad Herenn. cap.* 8.

Argumentum est ficta res, quæ tamen fieri potuit: velut argumenta comœdiarum.

Illud genus Narrationis quod in Personis positum est, debet habere sermonis festivitatem, animorum dissimilitudinem, gravitatem, lenitatem, spem, metum, suspicionem, desiderium, dissimulationem, misericordiam, rerum varietates, fortunæ commutationem, insperatum incommodum, subitam lætitiam, jucundum exitum rerum.

Illud vero quod ad Veritatem pertinet, quomodo tractari debeat, aperiemus. Tres convenit res habere, Narrationem, (3) ut brevis, ut dilucida, ut verisimilis sit. Rem breviter narrare poterimus, si inde cœperimus narrare, unde necesse erit: & si non ab ultimo initio repetere volemus: & si summatim, non particulatim narrabimus. Et si non ad extremum; sed usque eo, quò opus erit, persequemur. Et si Transitionibus nullis utemur. Et si non deerrabimus ab eo, quod semel cœperimus exponere. Et si exitus rerum ita exponemus, ut ante quoque quæ facta sint, sciri possint: tametsi nos reticuerimus. Et omnino non modo id quod obest; sed & id quod neque obest, neque adjuvat, satius est præterire. Et ne bis, aut sæpius idem dicamus, cavendum est: etiam ne id quod semel supra diximus, deinceps dicamus.

Rem dilucide narrabimus, si, ut quidque primùm gestum erit, ita primùm exponemus. Et rerum, ac temporum ordinem conservabimus, ut gestæ res erunt; aut ut potuisse geri videbuntur. Hic erit observandum, ne quid purturbatè, ne quid contortè, ne quid ambiguè, ne quid novè dicamus: ne quam in aliam rem transeamus: ne ab ultimo repetamus: ne longe persequamur: ne quid, quod ad rem pertineat, prætereamus. Et si sequemur ea, quæ de brevitate dicta sunt. Nam quò brevior, eò dilucidior, & cognitu facilior Narratio fiet.

Verisimilis Narratio erit, si ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus: si spatia Temporum, Personarum

(3) Cornificius *Lib.* I. *cap.* 9.

rum dignitates, consiliorum Rationes, Locorum opportunitates constabunt, ne refelli posit, aut temporis parum fuisse, aut Caussam nullam; aut Locum idoneum non fuisse, aut Homines ipsos facere, aut pati non potuisse.

Si vera res erit, nihilominus hæc omnia narrando conservanda sunt. Nam sæpe Veritas, nisi hæc servata sint, fidem facere non potest. Sin erunt ficta, eò magis erunt conservanda.

De Divisione, seu Partitione. Cap. XV.

DIvisio, sive *Partitio*, (1) est nostrarum, aut Adversarii propositionum, aut utrarumque ordine collata enumeratio. Hac quidam utendum semper putant, quod eâ & fiat Caussa lucidior; & Judex, intentior, ac docilior, si scierit, & de quo dicimus, & de quo dicturi sumus. Rursus quidam periculosum id Oratori arbitrantur duabus ex causis: quod nonnunquam & excidere soleant, quæ promiserimus, & si qua in partiendo præterierimus, occurrere. Quod quidem nemini accidet, nisi qui plane vel nullo fuerit ingenio; vel ad agendum nihil cogitati præmeditatique detulerit. Alioqui quæ tam manifesta, & lucida est Oratio quàm rectæ Partitionis? sequitur enim naturam ducem, adeo ut memoriæ id maximum sit auxilium via dicendi non decedere. Quapropter ne illos quidem probaverim, qui Partitionem vetant ultra tres Propositiones extendere: quæ sine dubio, si nimium sit multiplex; fugiet memoriam Auditoris; & turbabit intentionem. Hoc tamen numero, velut Lege, non est alliganda, cum posit Caussa plures desiderare.

Alia sunt magis, propter quæ Partitione non est semper utendum. Primum, quia pleraque gratiora sunt, si inventa subito, nec domo allata; sed inter dicendum e re ipsa nata videantur. Unde illa non injucunda schemata: *Pene excidit mihi*: &, *Fugerat me*: &, *Recte admones*. Interim vero etiam fallendus est Judex, & variis artibus subeundus: ut aliud agi, quàm, quod nos petimus, putet.

(1) Quinct. *Lib. 4. cap. 5.*

tet. Nam est nonnunquam dura Propositio: quàm si Auditor providet, non aliter præformidat, quàm qui ferrum Medici, ante quam curetur, aspexit. At si re non ante proposita, securum, ac nulla denunciatione in se conversum intrarit Oratio, efficiet, quod promittenti non crederetur. Sed ut non semper necessaria, (2) aut etiam supervacua *Partitio* est; ita opportunè adhibita plurimum Orationi lucis, & gratiæ confert. Neque enim id solum efficit, ut clariora fiant, quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, & in conspectu Auditorum positis; sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine: non aliter quàm facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia. Nam exhaustis laboribus, nosse mensuram voluptati est; & hortatur ad reliqua fortius exequenda, scire quantum supersit. Nihil enim longum videri necesse est, in quo quid ultimum sit, certum est. Nec immerito multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortensius, cujus tamen Divisionem in digitos diductam nonnunquam Cicero leviter eludit. Nam est certus suus modus: & evitanda utique nimium concisa, velut articulosa Partitio. Nam & auctoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec jam membra, sed frusta: & hujus gloriæ cupidi, quò subtilius & copiosius divisisse videantur, & supervacua assumunt; & quæ natura singularia sunt, secant: nec tam plura faciunt, quàm minora. Deinde cum fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obscuritatem, contra quam *Partitio* inventa est.

Divisa & simplex *Propositio* quoties utiliter adhiberi potest, primum debet esse aperta, atque lucida (nam quid sit turpius, quàm id esse obscurum ipsum, quod in eum solum adhibetur usum, ne sint cætera obscura?) tum brevis, nec ullo supervacuo onerata verbo. Non enim de quo dicimus; sed de quo simus dicturi, ostendimus. Obtinendum etiam ne quid in ea desit: ne quid supersit. Superest autem sic fere, cum, aut in Species

par-

(2) Quinct. *Lib.* 4. *cap.* 5.

partimur, quod in Genera partiri ſit ſatis; aut cum Genere poſito, ſubjicitur Species: ut, *Dicam de Virtute, Juſtitia, Continentia*; cum *Juſtitia*, atque *Continentia*, Virtutis ſint Species.

Partitio proponit quid ſit, de quo conveniat: quid, de quo ambigatur. In eo quod convenit, quid Adverſarius fateatur; quid Nos in eo, de quo ambigitur: quæ dicturi ſumus: quæ noſtræ propoſitiones: quæ partis adverſæ. Turpiſsimum vero non eodem ordine exequi, quo quidque propoſueris.

De Confirmatione. Cap. XVI.

IN *Confirmatione* noſtrorum Argumentorum, & Refutatione objectionum, conſiſtere omnem Artis Rhetoricæ vim dictum eſt in ſuperioribus. Cum igitur ſit Argumentum (1) *Ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ, quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt, confirmat*; neceſſe eſt eſſe aliquid, in Cauſſa, quod probatione non egeat: alioqui nihil erit, quo probemus, niſi fuerit, quod aut ſit verum, aut videatur, ex quo dubiis fides fiat. Pro certis autem habemus primum, quæ ſenſibus percipiuntur, ut quæ vidimus, audivimus: qualia ſunt ſigna: deinde ea, in quæ communi opinione conſenſum eſt: Deos eſſe: (2) præſtandam pietatem parentibus: præterea, quæ Legibus cauta ſunt: quæ perſuaſione, etiam ſi non omnium hominum; ejus tamen civitatis, aut gentis, in qua res agitur, in mores recepta ſunt: ut pleraque in Jure, non Legibus, ſed moribus conſtant: ſi quid inter utramque partem convenit: ſi quid probatum eſt: denique cuicumque Adverſarius non contradicit. Sic enim fiet *Argumentum. Cum Providentiâ Mundus regatur, adminiſtranda eſt*

(1) Quinct. *Lib.* 5. *cap.* 10.

(2) *Deſcripſit hæc* Nebriſſenſis ex Quinctiliani *Lib.* 5. *Inſtit. Orat. cap.* 10. *& tranſtulit huc Ethniciſmum, vitio communi Eruditorum ſui ſæculi.*

est respublica : ut administranda respublica sit, si liquebit Mundum Providentia regi.

Debet etiam nota esse recte Argumenta tractaturo vis, & natura omnium rerum : & quid quæque earum plerumque efficiat. Hinc enim sunt, quæ *Eicota* dicuntur.

Credibilium autem Genera sunt tria : Unum, firmissimum, quod fere accidit, ut, *Liberos a parentibus amari*. Alterum velut propensius : *Eum qui recte valeat, in crastinum perventurum*. Tertium tantum non repugnans: *In domo furtum factum ab eo qui domi fuit*. Ideoque Aristoteles *in secundo de Arte Rhetorica Libro* diligentissime est executus, quid cuique rei; & quid cuique homini soleat accidere : & quas res, quosque homines, quibus rebus, aut hominibus, vel conciliasset, vel alienasset ipsa natura : ut, divitias quid sequatur, aut ambitum, aut superstitionem. Quid boni probent : quid mali petant : quid milites : quid rustici : quo quæque modo res vitari, vel appeti soleat. Verum hoc exequi mitto : non enim longum tantum; sed etiam impossibile, aut potius infinitum est : præterea positum in communi omnium intellectu. Si quis tamen desideraverit, a quo peteret, ostendi.

Omnia autem credibilia, in quibus pars maxima consistit Argumentationis, ex hujusmodi fontibus fluunt. An credibile sit, a filio Patrem occisum : incestum cum filia commissum : & contra, veneficium in noverca, adulterium in luxurioso. Illa quoque, an scelus palam factum : an fasum dixerit propter exiguam summam; quia suos quisque horum velut mores habet : plerumque tamen; non semper : alioqui indubitata essent, non Argumenta, qualia sunt Mathematicorum, a quibus Demonstratio petenda est, ut inquit Aristoteles : quemadmodum ab Oratoribus Persuasio.

Deinde excutiendi sunt Argumentorum Loci : quanquam quibusdam ii quoque, de quibus supra dixi, *Loci* videntur. Locos appello Sedes Argumentorum, in quibus latent, & ex quibus sunt petenda. Nam ut in terra non omni generantur omnia : neque avem aut feram re-

pe-

perias; ubi quæque nasci, aut morari soleat, ignarus & piscium quoque Genera alia planis gaudent; alia saxosis, regionibus etiam, litoribusque discreta sunt; nec helopem nostro mari, aut scarum ducas; ita non omne Argumentum undique venit: ideoque non passim quærendum est. Multus alioqui error est; & exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus invenire, nisi casu. De Locis multa sunt ab Aristotele *VIII. Libris* Topicorum, atque a Cicerone, atque Boëtio enarratore, aliisque Auctoribus perscripta multa: a quibus tota hæc ratio petenda est.

De Ratiocinatione. Cap. XVII.

R*Atiocinatio*, (1) quem Græci *Syllogismum* appellant, *est Oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum, & per se cognitum, sua se vi & ratione confirmet.* Hoc de Genere qui diligentius considerandum putaverunt, cum idem usu dicendi sequerentur, paululum in præcipiendi ratione dissenserunt. Nam partim quinque ejus partes esse dixerunt: (2) partim non plus quàm in tres partes distribui posse putaverunt. Eorum controversiam non incommodum videtur cum utrorumque ratione exponere. Nam & brevis est; & non ejusmodi, ut alteri prorsus nihil dicere putentur. Et locus hic quidem in dicendo minime negligendus videtur. Qui putant (3) in quinque distribui partes oportere; ajunt primum convenire exponere summam argumentationis hoc modo. *Melius accurantur, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur.* Hanc primam partem numerant. Eam deinceps rationibus variis, & quàm copiosissimis verbis approbari putant oportere hoc modo. *Domus ea quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus, & apparatior; quàm ea, quæ temere & nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens, & cal-*

E *li-*

(1) Cicero *de Invent. Rhetor. lib.* 1. *cap.* 34.
(2) Ex Quinct. *Lib.* 5. *cap.* 14.
(3) Cicero *de Invent. cap.* 34.

lidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quàm is qui ſtultitia & temeritate alicujus adminiſtratur. Eadem navigii ratio eſt. *Nam navis optime curſum conficit ea, quæ ſcientiſsimo gubernatore utitur.*

Cum Propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duæ partes tranſierint Ratiocinationis; tertia in parte ajunt, quod oſtendere velis, id ex vi Propoſitionis oportere aſſumere, hoc pacto. *Nihil autem omnium rerum melius quàm omnis Mundus adminiſtratur.* Hujus Aſſumptionis quarto in loco aliam porro inducunt Approbationem hoc modo. *Nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quendam ordinem ſervant: & annuæ commutationes non modo quadam ex neceſsitate ſemper eodem modo fiunt; verum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ: & diurnæ nocturnæque viciſsitudines nulla in re unquam mutatæ quidquam nocuerunt. Quæ ſigno ſunt omnia, non mediocri quodam conſilio naturam Mundi adminiſtrari.*

Quinto inducunt loco *Complexionem* eam, quæ aut id infert ſolum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo, *Conſilio igitur Mundus adminiſtratur*: aut in unum locum cum conduxerit breviter Propoſitionem, & Aſſumptionem, id adjungit, quod ex his conficiatur, adhunc modum. *Quod ſi melius geruntur ea, quæ conſilio, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur: nihil autem omnium rerum melius adminiſtratur, quàm omnis Mundus; conſilio igitur Mundus adminiſtratur.* Quinquepartitam igitur hoc pacto putant eſſe Argumentationem.

Qui autem tripartitam eſſe dicunt, ii non aliter putant tractari oportere Argumentationem; ſed Partitionem horum reprehendunt. Negant enim neque a Propoſitione, neque ab Aſſumptione Approbationes earum ſeparari oportere: neque Propoſitionem abſolutam, neque Aſſumptionem ſibi perfectam videri, quæ Approbatione confirmata non ſit. Quare quas illi duas partes numerant, *Propoſitionem*, & *Approbationem*, ſibi partem unam videri, *Propoſitionem*: quæ ſi approbata non ſit, *Propoſitio* non ſit *Argumentationis*. Item quæ ab illis *Aſſumptio*,

&

& *Assumptionis Approbatio*, dicitur; eandem sibi *Assumptionem* solam videri. Ita fit, ut eâdem ratione *Argumentatio* tractata, aliis tripartita; aliis quinquepartita videatur. Quare evenit, ut res non tam ad usum dicendi pertineat, quàm ad rationem præceptionis.

Sed quæ *Propositio* (4) in se quiddam continet perspicuum, eo quod constare inter omnes necesse est; hanc velle Approbare, & Firmare, nihil attinet. Ea est hujusmodi. *Si quo die ista cædes Romæ facta est, ego Athenis eo die fui, interesse in cæde non potui.* Hoc quia perspicue verum est, nihil attinet approbari. Quare assumi statim oportet hoc modo: *Fui autem Athenis eo die.* Hoc, si non constat, indiget Approbationis, qua inductâ Complexio sequitur.

Sunt & alia duo Argumentorum Genera, quibus maxime utuntur Oratores: *Exemplum*, & *Inductio*. Illud Græci *Paradigma*, hoc *Epagògen* appellant. Potentissimum est inter ea, quæ sunt hujus Generis, (5) quod proprie vocamus *Exemplum.* Id est *Rei gestæ, aut ut gestæ utilis ad persuadendum id quod intenderis, commemoratio.* Intuendum igitur, totum simile sit, an ex parte: ut aut omnia ex eo sumamus; aut quæ utilia erunt. Simile est: *Jure occisus est Saturninus, sicut Gracchi.* Dissimile: *Brutus occidit liberos proditionem molientes. Manlius virtutem filii morte mulctavit.* Contrarium: *Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit: Verres eadem sociis abstulit.*

Inductio est Oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem ejus, cum quo disputatio est. Nam illa, (6) quâ plurimum Socrates usus est, hanc habuit viam; cum plura interrogasset, quæ fateri Adversario necesse esset; novissime id, de quo quærebatur, inferebat, cui simile concessisset. Id est *Inductio*, sed quod illic interrogatur; hic fere sumitur. Sit igitur illa interrogatio talis: *Quod est pomum generosissimum? Nonne quod optimum?* Concedetur. *Quid*

 equus

(4) Cicero *de Invent. lib.* 1. *cap.* 36.
(5) Quinct. *Lib.* 5. *cap.* 11.
(6) Quinct. *Lib.* 5. *cap.* 11.

equus generosissimus? Nonne qui optimus? Et plura in eundem modum. Deinde cujus Rei gratia rogatum est: *Quid homo? Nonne is generosissimus, qui optimus?* Fatendum erit.

De Usu Argumentorum. Cap. XVIII.

TRaditum fere est (1) Argumentum oportere esse confessum. Dubiis enim probari dubia qui possunt? Quædam tamen, quæ in alterius Rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. *Occidisti virum: eras enim adultera.* Prius de Adulterio convincendum est; ut, cum id cœperit esse pro certo, fiat incerti Argumentum. Illud hoc in Loco monere inter necessaria est, nulla esse firmiora, quàm quæ ex dubiis facta sunt certa. *Cædes a te facta est, cruentam enim vestem habuisti*; non est tam grave Argumentum, si fatetur, quam, si convincitur. Nam, si fatetur, multis ex caussis potuit cruenta esse vestis. Si negat, hic Caussæ cardinem ponit: in quo, si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. Non enim videtur in negando mentiturus fuisse, nisi desperasset id posse defendi, quod confiteretur. Firmissimis Argumentorum singulis instandum: infirmiora congreganda sunt: quia illa per se fortia non oportet circunstantibus obscurare, ut qualia sunt, appareant. Hæc imbecilla naturâ, mutuo auxilio sustinentur. Itaque, si non possunt valere, quia magna non sunt, valebunt, quia multa sunt: quæ ad ejusdem rei probationem omnia spectant: ut, si quis hæreditatis gratia hominem occidisse dicatur: *Hæreditatem sperabas, & magnam hæreditatem: & pauper eras: & tum maxime a creditoribus appellabaris; & offenderas eum cujus hæres eras: & mutaturum Tabulas sciebas.* Singula levia sunt, & communia: universa vero nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine. Quædam Argumenta ponere satis non est, adjuvanda sunt: ut, si Cupiditas caussa sceleris fuit; quæ sit vis ejus: si ira, quantum efficiat in animis homiuum talis affectio. Ita & firmio-

(1) Quinct. *Lib.* 5. *cap.* 12.

miora erunt ipsa, & plus habebunt decôris, si non nudos, & velut carne spoliatos artus ostenderint.

Multum etiam refert, si Argumento nitemur Odii: utrum hoc ex invidia sit; an ex injuria; an ex ambitu; vetus, an novum; adversus Inferiorem, Parem, an Superiorem; Alienum, an Propinquum. Suos habent omnia ista tractatus: & ad utilitatem partis ejus, quam tuemur, referenda sunt.

Nec tamen omnibus semper, quæ invenerimus Argumentis, onerandus est Judex: quia & tædium afferunt, & fidem detrahunt. Neque enim potest Judex credere satis esse ea potentia, quæ non putamus ipsi sufficere, qui dicimus. In rebus vero apertis argumentari tam sit stultum, quàm in clarissimum solem mortale lumen inferre.

Altera ex Asseveratione probatio est. (2) *Ego hoc feci. Tu mihi hoc dixisti.* Et, *O facinus indignum!* Et similia. Quæ tamen non habenda sunt inter magna præsidia, cum hoc in eadem Caussa fieri ex utraque parte similiter possit. Illæ firmiores ex sua cujusque Persona Probationes, quæ credibilem Rationem subjectam habent.

Quæsitum etiam, potentissima Argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos; an summo, ut inde dimittant: an partita primo summoque, ut Homericâ dispositione in medio sint infirma: an a minimis crescant. Quæ, prout Ratio Caussæ cujusque postulabit, ordinabuntur, uno, ut ego censeo, excepto, ne a potentissimis ad levissima decrescat Oratio. Sed jam ad Confutationem veniamus.

De Confutatione, sive Reprehensione. Cap. XIX.

Confutatio est, (1) *per quam argumentando Adversariorum Confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut elevatur.* Hæc fonte Inventionis eodem utetur, quo utitur Confirmatio: propterea quod, quibus ex Locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex Locis infirmari. Om-

(2) Quinct. *Lib.* 5. *cap.* 12.
(1) Cicero *de Invent. Rhetor. lib.* 1. *cap.* 42.

Omnis igitur Argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quæ sumpta sunt, non conceditur aliquod unum, plurave: aut his concessis, Complexio confici ex his negatur: aut si genus ipsum Argumentationis vitiosum ostenditur: aut si contra firmam Argumentationem alia æque firma, aut firmior ponitur.

Ex iis quæ sumuntur, aliquid non conceditur, cum aut id, quod credibile dicunt, negatur esse ejusmodi. Aut quod comparabile putant, dissimi e ostenditur. Aut Judicatum aliam in partem traducitur. Aut omnino Judicium improbatur. Aut, quod signum esse Adversarii dixerunt, id ejusmodi negatur esse. Aut si Complexio, aut unâ, aut ex utrâque parte reprehenditut. Aut si enumeratio falsa ostenditur. Aut si simplex Conclusio falsi aliquid continere demonstratur. Nam omne, quod sumitur ad Argumentandum, sive pro probabili, sive pro necessario, necesse est sumatur ex his Locis. Quare observare diligenter oportet (2) & quid sumatur; & quid ex his conficiatur.

Ipsum autem genus Argumentationis, vitiosum his de caussis ostendetur. Si aut in ipso vitium erit; aut si non ad id, quod instituetur, acommodabitur. Atque in ipso vitium erit, si omnino totum falsum erit, si commune, si vulgare, si leve, si remotum, si mala definitio, si controversum, si perspicuum, si non concessum, si turpe, si offensum, si contrarium, si inconstans, si advetium.

Falsum est, in quo perspicue mendacium est: hoc modo: *Non potest esse sapiens, qui pecuniam negligit. Socrates autem pecuniam negligebat: non igitur sapiens erat.*

Commune est, qnod nihilo magis ab Adversariis, quàm a nobis facit: hoc modo: Idcirco, Judices, quia veram Caussam habebam, brevi peroravi.

Vulgare est, quod in aliam quoque rem non probabilem, si non concessum sit, transferri possit: hoc modo: *Si veram Caussam non haberet, vobis se, Judices, non commisisset.* *Le-*

(2) Cicero *de Invent. Rhetor. lib.* I. *cap.* 48.

Leve est, quod aut post tempus dicitur: hoc modo: *Si in mentem venisset, non commisisset.* Aut perspicue rem turpem levi tegere vult defensione, hoc modo:

Cum te expetebant omnes, florentissimo
Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus,
Summo periclo, sola ut restituam, paro.

Remotum est, quod ultra quam satis est, petitur: hoc modo: *Quod si non P. Scipio Corneliam filiam Tiberio Graccho collocasset, atque ex ea duos Gracchos procreasset, tantæ seditiones natæ non essent.* Longius enim repetita est, quàm res postulabat.

Mala Definitio est, cum aut communia describit, hoc modo: *Seditiosus est is, qui malus, atque inutilis est civis*: nam hoc non magis seditiosi, quàm ambitiosi, quàm calumniatoris, quàm alicujus improbi hominis vim describit: aut falsum quiddam dicit, hoc pacto. *Sapientia est pecuniæ acquirendæ intelligentia.* Aut aliquid non grave, nec magnum continens. *Stultitia est immensæ gloriæ cupiditas.* Est hæc quidem stultitia sed ex parte quadam, non ex omni genere, definita.

Controversum est, in quo ad dubium demonstrandum, dubia caussa affertur: ut, si quispiam volens probare odium alicujus in alterum, afferat caussam illius odii, *Quod nunquam de illo bene senserit*; æque dubium est utrumque.

Perspicuum est, de quo non est controversia: ut, si quis cum Orestem accuset, planum faciat, *ab eo Matrem esse occisam.*

Non concessum est, cum id quod agitur, in controversia est: ut, si quis cum Ulyssem accuset, in hoc maxime commoretur, *Indignum esse ab homine ignavissimo virum fortissimum, Ajacem, esse necatum.*

Turpe est, quod aut eo Loco in quo dicetur, aut eo homine qui dicat, aut eo tempore, quo dicitur; aut iis, qui audiunt, aut ea re, de qua agitur, indignum propter inhonestam rem videtur.

Offensum est, quod eorum qui audiunt, voluntatem

lædit : ut, si quis apud Equites Romanos cupidos Judicandi Cæpionis Judiciariam Legem laudet.

Contrarium est, quod contra ea dicitur, quæ ii qui audiunt, fecerunt : ut, si quis apud Alexandrum Macedonem, contra aliquem urbis expugnatorem diceret, *Nihil esse crudelius, quàm urbes diruere*, cum ipse Alexander Thebas diruisset.

Inconstans est, quod ab eodem eâdem de re diversè dicitur : ut, si quis cum dixerit, *Qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene vivendum indigere*; neget postea sine bona valetudine posse bene vivere.

Adversum est, quod ipsi Caussæ ex parte officit : ut, si quis hostium vim, & copias, & felicitatem augeat, cum ad pugnam milites adhortetur.

Si non ad id quod instituitur, accomodabitur aliqua pars Argumentationis, horum aliquo in vitio reperietur : Si plura pollicitus, pauciora demostrabit : Aut si, cum totum debebit ostendere, de parte aliqua loquatur hoc modo. *Mulierum genus avarum est : nam Eryphile auro viri vitam vendidit.* Aut si non id, quod accusabitur, defendet. Ut, si quis cum ambitûs accusabitur, manu se fortem esse defendet, ut Amphion apud Euripidem : item apud Pacuvium : qui vituperatâ Musicâ sapientiam laudat. Aut si res ex hominis vitio vituperabitur : ut, si quis doctrinam ex alicujus docti vitiis reprehendat. Aut si quis cum aliquem volet laudare, de felicitate ejus, non de virtute dicat. Aut si quis rem cum re ita comparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram vituperarit. Aut si alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem. Aut si cum de certa re quæretur, de communi instituetur Oratio : ut, si quis cum aliqui deliberent, Bellum geratur, an non; pacem laudet omnino; non illud bellum inutile est demonstret. Aut si cum de certa re quæretur, de communi instituetur Oratio : ut, fortitudinem laudaturus, virtutem laudibus efferat. Aut si ratio alicujus rei reddetur falsa, hoc modo : *Pecuniam habere bonum est, propterea quod*

ea

ea maxime vitam beatam efficiat. Aut si infirma: ut, Plautus.

Næ amicum castigare ob meritam noxiam
Immune est facinus; verum in ætate utile,
Et conducibile. Nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro cummerita noxia
Invitus, ni me id invitet ut faciam fides.

Amicum castigare ob meritam noxam immune est. Aut eadem hoc modo: *Maximum malum est avaritia: multos enim magnis incommodis affecit pecuniæ cupiditas.* Aut parum idonea, hoc modo: *Maximum bonum est amicitia: plurimæ enim delectationes sunt in amicitia.*

Quartus modus erat Reprehensionis, per quem contra firmam Argumentationem æque firma, aut firmior ponebatur. Hoc genus in Deliberationibus maxime versatur; cum aliquid, quod contra dicatur, æquum esse concedimus: sed id quod nos defendimus, necessarium esse demonstramus. Aut cum id, quod illi defendant, utile esse fateamur: quod nos dicamus, demonstremus esse honestum. Ac de *Reprehensione* quidem hactenus. Nunc de *Peroratione* dicendum.

De Peroratione, sive Conclusione. Cap. XX.

P*Erorationes*, (1) sive *Conclusiones*, quæ apud Græcos *Epilogi* nominantur, tripartitæ sunt. Nam constant ex *Enumeratione*, *Amplificatione*, *Commiseratione*. *Enumeratio* est, per quam colligimus & commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breviter; ut renovetur, non redintegretur Oratio: & ordine, ut quidquid erit dictum, referamus: ut Auditor si memoriæ mandaverit, ad idem quod ipse meminerit, reducatur. Item curandum est, ne aut ab Exordio, aut a Narratione repetatur Orationis enumeratio. Ficta enim, & deditâ operâ comparata Oratio videbitur esse, aut artificii significandi, aut ingenii venditandi, aut memoriæ ostentandæ caussâ. Quapropter initium Enumerationis faciendum est a

(1) Cornific. *Lib.* 2. *cap.* 30.

Divisione. Deinde ordine breviter exponendæ sunt res, quæ tractatæ erunt in Confirmatione, & Confutatione.

Amplificatio est res, quæ per Locum Communem, instigationis Auditorum caussâ sumitur.

Loci Communes ex decem præceptis commodissime sumuntur adaugendi Criminis caussâ. Primus Locus sumitur ab *Auctoritate*, (2) cum commemoramus, quantæ curæ ea res fuerit Diis immortalibus, (3) aut majoribus nostris, Regibus, Magistratibus, Nationibus, Hominibus Sapientibus, Senatui. Item maxime quo modo his de rebus Legibus sancitum sit.

Secundus Locus est, cum consideramus, illæ res de quibus criminamur, ad quos pertineant: utrum ad omnes, quod atrocissimum est; an ad Superiores: quod genus ii sunt, a quibus auctoritatis Locus Communis sumitur. An ad Pares, hoc est, in eisdem partibus animi, corporis, fortunarum positos. An ad Inferiores, qui omnibus his rebus autecelluntur.

Tertius Locus est, quo percunctamur, quid sit eventurum, si omnibus idem concedatur: & eâ re neglectâ, ostendemus, quid periculorum, aut incommodorum consequatur.

Quartus Locus est, quo demonstratur, si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc expectatio Judicii remoratur.

Quintus Locus est,per quem ostendemus, si semel aliter judicatum sit, nullam rem fore, quæ incommodo mederi, aut perperam factum, aut erratum Judicum corrigere possit: quo in Loco non incommodum erit uti cæterarum rerum comparatione, ut ostendamus alias res posse, aut vetustate sedari, aut consilio corrigi: hujus rei aut leniendæ, aut corrigendæ, nullam rem adjumento futuram.

Sextus Locus est, cum ostendemus, ex consulto factum,

(2) Cicero *de Invent. Rhetor. Lib.* I. *cap.* 53.

(3) Valde mihi displicet Nebrissensem Ethnicismos describere, ut hic, quod Cornificius effutiit, *Lib.* 2. *Rhetor. cap.* 30.

ctum; & dicemus voluntario facinori nullam esse excusationem; imprudentiæ justam deprecationem paratam.

Septimus Locus est quo ostendemus tetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse: quod genus, injuriæ mulierum, aut earum rerum aliquid, quarum rerum caussâ bella suscipiuntur, & cum hostibus de vita dimicatur.

Octavus Locus est, quo ostendimus non vulgare, sed singulare esse maleficium, spurcum, nefarium, & inusitatum: quo maturius, & atrocius vindicandum sit.

Nonus Locus constat ex peccatorum comparatione: quasi cum dicemus, majus esse maleficium stuprare ingenuam, quàm sacrum legere: quorum alterum propter egestatem; alterum propter intemperantem superbiam fiat.

Decimus Locus est, per quem omnia quæ in negocio gerundo acta sunt, quæque rem consequi solent, exponemus acriter, & criminose, & diligenter: ut agi res, & geri negotium videatur rerum consequentium enumeratione.

Misericordiâ commovebitur Auditoris animus, si variam fortunarum commutationem dicemus: si ostendemus, in quibus commodis fuimus, quibus & incommodis simus, comparatione. Si quæ nobis futura sint, nisi Caussam obtinuerimus, enumerabimus, & ostendemus. Si supplicabimus, & nos eorum, quorum Misericordiam captabimus, potestati subjiciemus. Si quid nostris parentibus, liberis, cæteris necessariis casurum sit propter nostras calamitates, aperiemus: & simul ostendemus, illorum nos solitudine, & miseria, non nostris incommodis dolere. Si de clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios usi sumus, aperiemus. Si nos semper, aut diu, in malis fuisse ostendemus. Si nostrum fatum, aut fortunam conqueremur. Si animum nostrum fortem, patientem incommodorum ostendemus futurum. *Commiserationem*, brevem esse oportet: *Nihil enim lachrymâ citius arescit.* Sed jam ad tria Caussarum Genera redeamus.

De Generibus Caussarum. Cap. XXI.

TRia Genera *Caussarum*, quas diximus esse propriam Rhetorices materiam, Aristoteles per tria Auditorum Genera distinguit. (1) Nam, ut ille inquit, Auditor, aut Judex est, aut Senator, aut Populus. *Judex* inter Accusatorem, & Defensorem Arbiter est. *Senator*, qui de rebus dubiis suadenti, aut dissuadenti acquiescens, decernit. *Populus*, qui laudandi, aut vituperandi alicujus caussâ in concionem concurrit. Idem quoque Auctor in tria tempora eadem Genera Caussarum partitur. Nam in Judicium ea proprie veniunt, quæ jam perpetrata sunt. In Senatum, ea tantum, de quibus est consultatio; faciendane, an non facienda sint. In Concionem Populus coit, ut audiat, qualis quisque impræsentiarum est.

Loci quoque diversi erant in quibus Orationes habebantur. In Foro, quæ in Genere Judiciali. In Curia, quæ in Genere Deliberativo. Pro Rostris, quæ in Genere Demonstrativo. *Fora* Romæ tria erant, in quibus reddebatur Jus, de quibus ait Poëta. (2) *Atque erit in triplici par mihi nemo Foro.* Unde juris dicundi Conventus in Provinciis parati *Fora* dicebantur: ut Forum Appii, Cornelii, Julii.

Curia præterea Locus erat, ubi Senatus habebatur. Templa quoque nonnunquam pro Curia fuerunt: ut, Apollinis, Concordiæ, Telluris. Apud Virgilium, *Hoc illis Curia Templum. Pro Rostris* quoque Locus erat, in quo pendebant Rostra navium ex Antiatibus navali pugna superatis.

Aliquando tamen ex certis caussis cum Auditoribus Loca permutabantur: & Populus consulitur de gerendo bello cum Mithridate apud Ciceronem in Oratione *pro Lege Manilia*: & in Senatu ab eodem laudatur Cæsar; & vituperantur Antonius, & Catilina: atque pro Archia Poëta in Foro Humanitatis Artes commendantur: & fe-

(1) *Rhetoricor.* 4. *cap.* 9.
(2) Martialis *Epigr. Lib.* 3. *Epigr.* 38.

fere nulla eſt Cauſſa, in qua non ex Locis aliarum Cauſſarum propriis Argumenta ducantur. Nam quod quidam ſcribunt, in Genere *Demonſtrativo* Argumenta deducenda eſſe ab Honeſto; in *Deliberativo*, ab Utili; in Judiciali, a partibus Juſtitiæ; non ita eſt intelligendum, ut unius Cauſſæ non transferantur ad aliarum Cauſſarum Locos. Nam & in Oratione *pro Milone* plurimus eſt Cicero in eo laudando, atque vituperando Clodio: &, cum de inferendo Mithridati bello deliberat, non ſolum a partibus Utilitatis, ſed ab Honeſto, & Juſto, Argumenta deducit. Quid? Non & Ariſtoteles in *Rhetorico ad Alexandrum* ſcribit, illa ad quæ exhortetur ſuaſor, oportere eſſe juſta, & legitima, & utilia, & honeſta, & jucunda, & facilia factu: atque pari modo de aliis duobus Generibus Cauſſarum. Sed ad ſingula Cauſſarum Genera redeamus: atque imprimis ad *Demonſtrativum*, quod ſimplicius, atque tractatu facilius eſt.

De Genere Demonſtrativo. Cap. XXII.

D*Emonſtrativum* Cauſſæ Genus, (1) quod a Græcis *Epidicticon* appellatur, hoc eſt, *Oſtentativum*, Ariſtoteles, & Theophraſtus a Civilibus negotiis removerunt: totumque ad ſolos Auditores voluptatis cauſsâ relegarunt: & id ejus nominis, quod ab Oſtentatione ducitur, proprium eſt. Sed & in Judiciis Teſtes laudantur, vituperanturque; & in conſultatione belli Mithridatici Cn. Pompejum Cicero laudat, ut illi Provincia decernatur. Itaque cum omnis Cauſſa proprie in controverſia ſit poſita; ſunt tamen quædam materiæ, (2) quæ ad ſolam Oſtentationem pertinent: ut Deorum immortalium, atque Heroum laudes, in quibus Status Cauſſæ nullus eſt. Niſi quis male de natura Deorum ſentiens dicat, illos non agere humanarum rerum curam: id quod Epicurus opinatur; & illud Eliphaz in Libro Job, *Nec noſtra con-*

(1) Quinct. *Inſtit. Orat. Lib.* 3. *cap.* 4.
(2) Verba ſunt ejuſdem Quinct. *in dicto Lib.* 3. *cap.* 7. Quæ multo pejus effutiit Nebriſſ. ut vere loquar, immemor Chriſtianæ Doctrinæ.

considerat ; *& circa cardines cœli perambulat* ; tunc quæstio suboriretur : *An Dii rerum nostrarum agant curam.* Atque in Hercule laudando quispiam objiciat divinis illius virtutibus ingentia quædam vitia, quæ præponderent recte factis. Verum in Deis generaliter Majestatem eorum venerabimur : deinde propriam vim cujusque, & inventa, quæ utile aliquid hominibus attulerunt. Vis ostenditur, ut in Jove, regendorum hominum ; in Marte, belli ; in Neptuno, maris. Inventa, ut Artium in Minerva : frumenti in Cerere ; vini in Libero Patre.

Magis est varia laus Hominum : (3) nam primum dividitur in Tempora, quodque ante eos fuit, quoque ipsi vixerunt : in iis autem qui fato sunt functi, etiam quod est insecutum. Ante hominem patria ac parentes, majoresque erunt : quorum duplex tractatus est ; aut enim respondisse nobilitati pulchrum erit ; aut nobilius, Genus illustrasse factis.

Illa quoque interim ex eo, quod ante ipsum fuit, tempore trahentur : quæ responsis, vel auguriis, futuram claritatem promiserunt : sicut eum qui ex Thetide natus esset, majorem Patre suo futurum cecinisse dicuntur Oracula.

Ipsius vero Laus hominis ex animo, & corpore, & extra positis, peti debet. Et corporis quidem fortuitorumque cum levior, tum non uno modo tractanda est. Nam & pulchritudinem interim, roburque prosequimur honore verborum, ut Homerus in Agamennone, atque Achille. Interim confert admirationi multum etiam infirmitas : ut cum idem Tydea *parvum* ; sed *bellatorem* dicit fuisse. Fortuna vero tum dignitatem affert, ut in Regibus, Principibusque (namque est, hæc materia ostendendæ virtutis uberior) tum quo minores opes fuerunt, eò majorem beneficiis gloriam parit.

Sed omnia, quæ extra nos bona sunt, quæque Hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quòd habuerit quis ea ; sed quod his honeste sit usus. Nam di-

(3) Quinct. *Instit. Orat. lib.* 3. *cap.* 7.

divitiæ, & potentia, & gratia, cum plurimum virium dent, in utramque partem certiſsimum faciunt morum experimentum: aut enim meliores propter hæc, aut pejores ſumus.

Animi ſemper vera laus: ſed non una per hoc opus via ducitur. Namque aliàs ætatis gradus, geſtarumque rerum ordinem ſequi ſpecioſius fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum diſciplinæ, poſt hoc, operum, id eſt, factorum dictorumque contextus. Alias in ſpecies virtutum dividere laudem; Fortitudinis, Juſtitiæ, Continentiæ, cæterarumque, ac ſingulis aſsignare, quæ ſecundum quamque earum geſta erunt. Utra ſit autem harum via utilior, cum materia deliberabimus, dum ſciamus gratiora eſſe Audientibus, quæ ſolus quis, aut primus, aut certe cum paucis feciſſe dicetur. Si quid præterea ſupra ſpem aut expectationem, præcipue quod in aliena potius cauſſa, quàm ſua.

Tempus quod finem Hominis inſequitur, non ſemper tractare contingit; non ſolum, quòd viventes aliquando laudamus; ſed quod rara hæc ocaſio eſt, ut referri poſſint divini honores, & decreta; ut publicè ſtatuæ conſtitutæ. Inter quæ numeraverim ingeniorum monumenta, quæ ſæculis probentur. Nam quidam, ſicut Menander juſtiora poſterorum, quàm ſuæ ætatis judicia ſunt conſequuti.

Afferunt autem Liberi Parentibus laudem; (4) Urbes, conditoribus; Leges, Latoribus; Artes, Inventoribus: nec non Inſtituta quoque Auctoribus: ut, a Numa traditum Deos colere: (5) a Publicola, faſces Populo ſubmittere. Qui omnis etiam in vituperatione ordo conſtabit tantum in diverſum. Nam & turpitudo Generis opprobrio multis fuit: & quoſdam claritas ipſa notiores circa vitia, & inviſos magis fecit: & in quibuſdam, ut in Pa-

(4) Quinct. *Lib.* 3. *cap.* 7.
(5) Rhetor noſter ex ſcripſit hæc & ſequentia ex Quinctiliani *Inſt. Orator. lib.* 3. *cap.* 7. Nimirum Numa, homo ſuperſtitioſus traduxit Romanos ab Atheiſmo ad Idololatriam.

Paride traditum eſt, prædicta pernicies; & corporis ac fortunæ quibuſdam mala contemptum, ut Therſitæ atque Iro: ac quibuſdam bona vitiis corrupta odium attulerunt; ut Nirea, imbellem; Pliſthenem, impudicum, a Poëtis accepimus.

Et animi totidem vitia, quot virtutes ſunt: nec minus quàm in Laudibus, duplici ratione tractantur. Et poſt mortem adjecta quibuſdam ignominia eſt: ut Melio, cujus domus ſolo æquata; & M. Manlio, cujus prænomen e familia in poſterum exemptum eſt: & Parentes malorum odimus: & Conditoribus Urbium eſt infamiæ contraxiſſe aliquam perniciosſam cæteris gentem. Intereſſe tamen Ariſtoteles putat, ubi quidque laudetur, aut vituperetur: nam plurimum refert, qui ſint Audientium mores, quæ publice recepta perſuaſio: ut illa maxime quæ probant eſſe in eo qui laudabitur, credant: aut in eo, contra quem dicemus, ea quæ oderint. Ita non dubium erit Judicium, quod Orationem præceſſerit. Ipſorum etiam Judicum permiſcenda laus ſemper: nam id benivolos facit. Quoties autem fieri poterit, cum materiæ utilitate jungenda. Minus Lacedæmone ſtudia literarum, quàm Athenis, honoris merebantur; plus patientia, fortitudo. Rapto vivere quibuſdam honeſtum: aliis, cura Legum. Frugalitas apud Sybaritas forſitan odio foret: veteribus Romanis, ſummum luxuriæ crimen.

Eadem in ſingulis differentia. Maxime favet Judex, qui ſibi dicentem aſſentiri putat. Idem præcipit illud quoque (quod mox Cornelius Celſus prope ſupra modum invaſit) quia ſit quædam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proximâ *Derivatione* verborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus. Quæ eadem etiam contra valent: quod quidem Orator, id eſt, vir bonus, nunquam faciet, niſi forte communi utilitate ducetur.

Laudantur autem Urbes ſimiliter, atque Homines: nam pro Parente eſt Conditor: & multum Auctoritatis affert Vetuſtas: ut iis qui Terrâ dicuntur orti. Illa pro-

pria,

pria, quæ ex Loci positione, aut munitione sunt. Cives illis, ut hominibus liberi, decori.

Est Laus & operum, in quibus honor, utilitas, pulchritudo, Auctor spectari solet. Honor, ut in Templis; utilitas ut in muris; pulchritudo, vel Auctor, utrobique.

Est & Locorum, qualis Siciliæ apud Ciceronem: in quibus similiter speciem, & utilitatem intuemur. Itaque ut non consensi, hoc Laudativum Genus circa solam versari honesti quæstionem; sic *Qualitate* maxime contineri puto: quamquam omnes tres Status cadere in hoc opus possint, iisque usum C. Cæsarem in vituperando Catone notaverit Cicero.

De Genere Deliberativo. Cap. XXIII.

D*Eliberativum* Genus, quod duas habere species dictum est, *Suasionem* videlicet, ac *Dissuasionem*, non solum in Reipublicæ administratione; verum etiam in aliis quoque rebus versatur. Nam & consultantium, (1) & consiliorum plurima sunt Genera. Quare in suadendo, & dissuadendo, tria primum spectanda erunt: quid sit, de quo deliberetur: qui sint, qui deliberent: quis sit, qui suadeat. Rem autem de qua deliberatur, aut certum est posse fieri, aut incertum. Si incertum, hæc erit Quæstio sola, aut potentissima. Sæpe enim accidet, ut prius dicamus, ne si possit quidem fieri, esse faciendum: deinde fieri non posse. Cum autem de hoc quæritur, *Conjectura est*: *An Isthmos intercidi*: *An siccari Palus Pontina*: *An portus fieri Ostiæ possit*: *An Alexander terras ultra Oceanum sit inventurus*. Sed in iis quoque quæ constabit posse fieri, *Conjectura* aliquando erit: ut, si quæratur, *An utique futurum sit, ut Carthaginem superent Romani*: *Ut redeat Hannibal, si Scipio exercitum in Aphricam transtulerit*: *Ut servent fidem Samnites, si Romani arma deposuerint*. Quædam & fieri posse, & futura esse credibile est: sed aut alio tempore, aut alio loco, aut alio modo.

Ubi *Conjecturæ* non erit locus, alia sunt intuenda: &

(1) Quinct. *Instit. Orator. lib.* 3. *cap.* 8.

& primum, aut propter ipſam rem, de qua Sententiæ rogantur, conſultabitur: aut propter alias intervenientes extrinſecus cauſſas.

Propter ipſam deliberant Patres Conſcripti, *An ſtipendium militi conſtituant.* Hæc materia ſimplex erit. Accedunt Cauſſæ aut faciendi: ut, Deliberant Patres Conſcripti, *An Fabios dedant Gallis bellum minitantibus*: aut non faciendi: ut, Deliberat C. Cæſar, *An perſeveret in Germaniam ire, cum milites paſsim teſtamenta facerent.*

Hæ *Suaſoriæ* duplices ſunt. Nam & illic cauſſa deliberandi eſt, quod bellum Galli minitentur. Eſſe tamen Quæſtio poteſt, dedendine fuerint etiam citra hanc denunciationem, qui contra fas, cum Legati miſsi eſſent, prælium inierint; Regemque, ad quem mandata acceperant, trucidarint. Et hic nihil Cæſar ſine dubio deliberet, niſi propter hanc militum perturbationem. Eſt tamen locus quærendi, *An citra hunc quoque caſum penetrandum in Germaniam fuerit.* Semper autem de eo prius loquemur, de quo deliberari, etiam detractis ſequentibus, poſſet.

Partes ſuadendi quidam putaverunt *Honeſtum*, *Utile*, *Neceſſarium.* Ego non invenio huic tertiæ locum. Quantalibet enim vis ingruat, aliquid fortaſſe pati neceſſe ſit; nihil facere: de faciendo autem deliberatur. Quod ſi hanc vocant *Neceſsitatem*, in quam homines graviorum metu coguntur, *Utilitatis* erit Quæſtio. Ut ſi obſeſsi, & impares, & aqua ciboque defecti, de facienda ad hoſtem deditione deliberent, & dicatur, *Neceſſe eſt*; nempe ſequitur, ut hoc ſubjiciatur; *Alioqui pereundum eſt*: ita propter idipſum non eſt neceſſe: quia perire potius licet. Denique non fecerunt Saguntini, neque in rate Opitergina circumventi. Igitur in his quoque Cauſsis, aut de ſola utilitate ambigetur; aut Quæſtio inter Utile, atque Honeſtum conſiſtet. At enim, *Si quis liberos procreare volet; neceſſe eſt uxorem ducere.* Quis dubitat? Sed ei, qui pater vult fieri, liqueat neceſſe eſt, uxorem eſſe ducendam. Itaque mihi ne conſilium quidem videtur,

tur, ubi necessitas est: non magis quam ubi constat, quid fieri omnino non posse. Omnis enim Deliberatio de dubiis est. Melius igitur qui tertiam partem dixerunt δυνατὸν, quod nostri *Possibile* nominant: quæ ut dura videatur appellatio; tamen sola est. Quas partes non omnes in omnem cadere *Suasoriam* manifestius est, quàm ut docendum sit. Tamen apud plerosque earum numerus augetur, a quibus ponuntur, ut partes, quæ species sunt partium. Nam fas, justum, pium, æquum, mansuetum quoque (sic enim sunt interpretati τὸ ἥμερον) & si qua adhuc adjicere quis ejusdem Generis velit, subjici possunt Honestati. An sit autem facile, magnum, jucundum, sine periculo, ad Quæstionem pertinet *Utilitatis*: qui *Loci* oriuntur ex contradictione. *Est quidem utile; sed difficile, parvum, injucundum, periculosum.* Tamen quibusdam videtur esse nonnunquam de Jucunditate sola consultatio: ut si de ædificando Theatro, instituendis Ludis, deliberetur. Sed neminem adeo solutum luxu puto, ut nihil in Caussa suadendi sequatur præter voluptatem. Præcedat enim semper aliquid necesse est: ut in Ludis, honor Deorum; in Theatro, non inutilis laborum remissio; deformis & incommoda turbæ, si id non fiat, Conflictatio; & nihilominus eadem illa Religio, cum Theatrum veluti quoddam illius Sacri Templum vocabimus.

Sæpe vero & *Utilitatem* despiciendam esse dicimus, ut honesta faciamus: ut, cum illis Opiterginis damus consilium, ne se hostibus dedant, quamquam perituri sint, nisi fecerint. Et Utilia Honestis præferimus: ut, cum suademus, ut bello Punico servi armentur. Sed tamen neque hic plane concedendum est, esse id inhonestum. Liberos enim natura omnes, & eisdem constare Elementis, & fortasse antiquis etiam Nobilibus ortos, dici potest: & illic, ubi manifestum periculum est, opponenda alia sunt pericula: ut, crudelius etiam perituros affirmemus, si se dediderint; sive hostes non servaverint fidem; sive Cæsar vicerit: quod est vero similius.

Hæc autem quæ tantum inter ſe pugnant, plerumque nominibus deflecti ſolent. Nam & Utilitas ipſa expugnatur ab iis, qui dicunt, non ſolum potiora eſſe honeſta, quàm utilia; ſed ne utilia quidem eſſe, quæ non ſint honeſta. Et contra, quod nos honeſtum, illi vanum, ambitioſum, ſtolidum, verbis, quàm re, probabilius vocant. Nec tantum inutilibus comparantur utilia, ſed inter ſe quoque ipſa: ut, ſi ex duobus eligamus, in altero, quid ſit magis; in altero, quid ſit minus. Creſcit hoc adhuc: nam interim triplices etiam Suaſoriæ incidunt. Ut, cum Pompeius deliberavit, Parthos, an Africam, an Egyptum peteret. Ita non tantum utrum ſit melius; ſed quid ſit optimum, quæritur. Itemque contra. Nec unquam incidet in hoc Genere materiæ dubitatio rei, quæ undique ſecundum nos ſit. Nam ubi contradictioni locus non eſt; quæ poteſt eſſe cauſſa dubitandi? Ita fere omnis *Suaſoria* nihil eſt aliud, quàm Comparatio: videndumque, quid conſecuturi ſimus: & per quid: ut æſtimari poſsit, plus in eo quod petimus ſit commodi; an vero in eo, per quod petimus, incommodi.

Eſt *Utilitatis* & in tempore quæſtio, *Expedit: ſed non nunc.* Et in Loco: *Non hìc.* Et in Perſona: *Non Nobis: Non contra Nos.* Et in Genere agendi: *Non ſic.* Et in modo: *Non in tantum.* Sed Perſonam ſæpius decoris cauſſa intuemur: quæ & in nobis, & in iis qui deliberant, ſpectanda eſt. Itaque quamvis exempla plurimum in Conciliis poſsint, quia facillime homines ad conſentiendum ducuntur experimentis; refert tamen, quorum Auctoritas, & quibus adhibeatur. Diverſi ſunt enim Deliberantium animi; duplex, conditio. Nam conſultant, aut plures, aut ſinguli: ſed in utriſque differentia: quia & in pluribus multum intereſt, Senatus ſit, an Populus: Romani, an Fidenates: Græci, an Barbari. Et in ſingulis, Catoni petendos honores ſuadeamus; an C. Mario. De Ratione belli, Scipio prior, an Fabius deliberet. Proinde intuenda, ſexus, dignitas, ætas. Sed Mores præcipue diſcrimen dabunt. Et honeſta quidem honeſtis ſua-

ſuadere facillimum eſt. Si vero apud Turpes recta obtinere conabimur; ne videamur exprobrare diverſam vitæ Sectam, cavendum eſt. Et animus deliberantis, non ipſâ honeſti natura, quàm ipſe non reſpicit, permovendus eſt; ſed laude, vulgi opinione. Et, ſi parum proficiet hæc vanitas; ſecuturâ ex his utilitate; aliquanto vero magis objiciendo aliquos, ſi diverſa fecerit, metus. Nam præter id quod his leviſsimi cujuſque animus facillime terretur; neſcio an etiam naturaliter apud plurimos plus valeat malorum timor, quàm ſpes bonorum: ſicut facilior eiſdem turpium, quàm honeſtorum, intellectus eſt. Aliquando bonis quoque ſuadentur parum decora: dantur parum bonis conſilia: in quibus ipſorum, qui conſulunt, ſpectatur utilitas. (2) Multum etiam refert, quæ ſit Perſona ſuadentis. Quia anteacta vita, ſi Illuſtris fuit, aut clarius Genus, aut ætas, aut fortuna; affert expectationem. Providendum eſt, ne quæ dicuntur, ab eo, qui dicit, diſſentiant. At his contraria ſummiſsiorem quendam modum poſtulant. Nam quæ in aliis libertas eſt; in aliis licentia vocatur. Et quibuſdam ſufficit Auctoritas: quoſdam Ratio ipſa ægre tuetur. Ideoque longe mihi difficillimæ videntur *Proſopopœiæ*: in quibus ad reliquum *Suaſoriæ* laborem accedit etiam *Perſonæ* difficultas. Namque idem illud aliter Cæſar, aliter Cato, aliter Cicero ſuadere debebit. Utiliſsima vero hæc exercitatio, vel quod duplicis eſt operæ; vel quod Poëtis quoque, aut Hiſtoriarum futuris Scriptoribus plurimum confert: verum & Oratoribus neceſſaria. Nam ſunt multæ a Græcis Latiniſque compoſitæ Orationes, quibus alii uterentur, ad quorum conditionem vitamque aptanda quæ dicebantur, fuerunt. An eodem modo cogitavit,

aut

(2) Adjungere debuit Nebriſſenſis, quæ continuo ſubjunxit Quinctilianus, *Inſtit. Orator. lib. 3. cap. 8. Nec me fallit, quæ ſtatim cogitatio ſubire poſsit legentem.* Hoc ergo præcipis? Et hoc fas putas? *Poterat me liberare M. Cicero, qui ita ſcribit ad Brutum, propoſitis plurimis, quæ honeſte ſuaderi Cæſari poſſent.* Simne bonus vir, ſi hæc ſuadeam? Minime.

aut eandem Perſonam induit Cicero, cum ſcriberet Cn. Pompeio, & cum C. Domitio, cæteriſve? An non uniuſcujuſque eorum fortunam, dignitatem, res geſtas intuitus; omnium etiam quibus vocem dabat, imaginem expreſsit? Ut melius quidem; ſed tamen ipſi dicere viderentur. Neque enim minus vitioſa eſt Oratio, ſi ab homine, quàm ſi a re, cui accommodari debuit, diſsidet.

De Genere Judiciali. Cap. XXIIII.

QUi de Arte Rhetorica præceptiones ſcribunt, maximam totius operis partem in Genere *Judiciali* conſumunt. Nam & Quinctilianus omnes Rhetoricæ atque Orationis partes ad hoc Genus defert: ſive quod in eo multo plus eſt difficultatis ob multiplices variaſque quæſtiones: ſive quòd Oratoribus inde multo copioſior lucri erat materia: ſive quòd in libera Civitate majoris potentiæ putabatur eſſe poſſe oppugnare, aut defendere civem; aut ſeipſum ab aliorum injuria tueri, quàm apud Populum concionari: aut in Senatu publicam cauſſam agere. Noſtra vero tempeſtate nullus prope Generi *Judiciali* uſus eſt relictus. Non iis qui ſub ditione Pontificia vivimus: non iis qui in Regno, in quo ſunt omnia ad unius Principis voluntatem redacta: qui, aut decernunt pro arbitrio ſuo quid ſit faciendum; aut ad Jus commune Pontificium, ſive Romanum, omnia remittunt. Ipſarum vero Legum interpretationem ad neſcio quos Innocentios, & Abbates, Bartulos, & Baldos deferunt. Judicum vero arbitrio nihil permittunt; diffidentes, opinor, illorum æquitati, bonitati: ut jam nullus ſit in hac parte relictus Oratori locus: non apud Pontificem, non apud Regem, non apud Judices, non in Republica apud ipſos Optimates: qui & ipſi communi omnium conſenſu voluerunt ſe a Jure Civili gubernari. Sed nihilo magis ad rerum gerendarum deliberationes Orator admittitur; ut nihil mirandum ſit, cur Ars Rhetorica in interitum propemodum ſit redacta; atque in ſolis Concionatoribus reperiatur. Nam, quemadmodum ait Ariſtoteles, interibunt

uti-

utique Artes, si illarum operibus plus impensarum, & laboris insumatur, quàm inde sit emolumenti perventurum. Quare omissa hac parte, nos ad alia properemus; cum præsertim & in *Statu Caussarum*, & in *Confirmatione*, & *Confutatione*, nonnihil de ea dixerimus.

De Dispositione. Cap. XXV.

De *Inventione*, (1) ut arbitror, satis dictum est. Sed, ut opera extruentibus satis non est saxa atque materiam, & cætera ædificanti utilia congerere, nisi disponendis iis, collocandisque, Artificum manus adhibeatur; sic in dicendo, quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat, atque congestum, nisi illas eadem *Dispositio* in ordinem digestas atque inter se commissas devinxerit. Nec immerito secunda quinque partium posita est, cum sine ea prior nihil valeat. Neque enim, quanquam fusis omnibus membris, statua sit, nisi collocentur. Et si quam in corporibus nostris aliorumve animalium partem permutes, & transferas, licet habeat eadem omnia; prodigium sit tamen: & artus etiam leviter loco moti perdunt, quo viguerunt, usum: & turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento. Nec mihi videntur errare, qui ipsam rerum Naturam stare ordine putant; quo confuso peritura sint omnia. Sic Oratio carens hac virtute, tumultuetur necesse est: & sine rectore fluitet; nec cohæreat sibi, multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans: nec initio neque fine proposito, casum potius, quàm consilium sequatur. Quapropter totus hic locus serviat *Dispositioni*: quæ quidem si certa aliqua via tradi in omnes materias ullo modo posset; non tam paucis contigisset. Sed cum infinitæ *Caussarum* formæ fuerint, futuræque sint; & tot sæculis nulla reperta sit *Caussa*, quæ esset tota alteri similis; sapiat oportet Orator, & vigilet, & inveniat, & judicet, & consilium a se ipso petat. Neque inficias eo, quædam esse quæ demonstrari posint: eaque non omittam.

Quo-

(1) Quinct. *Instit. Orator. Lib.* 7. *Initio.*

Quoniam igitur *Dispositio* est, (2) per quam illa, quæ invenimus, in ordinem redigimus, ut certo quidque loco pronuncietur; videndum est, cujusmodi rationem in disponendo habere conveniat. Genera Dispositionis sunt duo. Unum ab institutione Artis profectum: alterum ad caussam temporis accomodatum. Ex institutione Artis disponemus, cum sequemur eam præceptionem, quam *in primo Libro exposuimus*: hoc est, ut utamur *Principio*, *Narratione*, *Divisione*, *Confirmatione*, *Confutatione*, *Conclusione*. Et hunc ordinem, quemadmodum præceptum est ante, in dicendo sequemur. Item ex institutione Artis non modo totas Caussas per Orationem, sed per singulas quoque Argumentationis partes disponemus: quemadmodum *in secundo Libro docuimus*: id est, *Expositionem*, *Rationem*, *Confirmationem Rationis*, *Exornationem*, *Complexionem*. Hæc igitur duplex *Dispositio* est: una per *Orationes*; altera per *Argumentationes* ab institutione Artis profecta.

Est autem & alia *Dispositio*, quæ cum ab ordine artificioso recedendum est, Oratoris judicio ad tempus accommodatur: ut, si a Narratione dicere incipiemus: aut ab aliqua firmissima Argumentatione: aut a literarum aliquarum recitatione: aut, si post Principium Confirmatione utamur: deinde Narratione: aut, si quam hujusmodi permutationem ordinis faciamus: quorum nihil, nisi caussa postulet, fieri oportebit. Nam si vehementer aures Auditorum obtusæ videbuntur; atque animi defatigati ab adversariis multitudine verborum, commode poterimus Principio supersedere, & exordiri Caussam, aut a Narratione, aut ab aliqua firma Argumentatione: deinde, si commodum erit, quia non semper necesse est, ad Principii sententiam reverti licebit. Si caussa nostra magnam difficultatem videbitur habere, ut nemo æquo animo Principium possit audire, a Narratione cum incœperimus, ad Principii sententiam revertemur.

Si

(2) Cornific. *Lib.* 3. *Rhetor. cap.* 9.

Si Narratio parum probabilis est, (3) exordiemur ab aliqua firma Argumentatione. His commutationibus, & translationibus partium sæpe uti necesse est, cum ipsa res artificiosam Dispositionem artificiose commutare cogit.

In Confirmatione, & Confutatione Argumentationum Dispositiones hujusmodi convenit habere: firmissimas Argumentationes in primis, & in postremis Caussæ partibus collocare: mediocres & neque inutiles ad dicendum, neque necessarias ad probandum, quæ, si separatim, ac singulæ dicantur, infirmæ sint, cum cæteris conjunctæ, firmæ & probabiles fiunt, interponi & in medio collocari oportet. Nam re narratâ, statim expectat animus Auditoris, ex qua re Caussa confirmari possit. Quapropter continuo firmam aliquam oportet inferre Argumentationem. Et quoniam nuperrime dictum facile memoriæ mandatur; utile est, cum dicere desinamus, recentem aliquam relinquere in animis Auditorum bene firmam Argumentationem. Hæc *Dispositio* Locorum, tanquam instructio militum, facillime in dicendo, sicut illa in pugnando, parere poterit victoriam.

Est & hoc quod Scriptor demonstrare non possit, (4) nisi certâ definitâque materiâ. Sed quid una faciat, aut altera? quin immo centum ac mille in re infinita, atque materia? Præceptoris est, in alio atque alio Genere quotidie ostendere, quis ordo sit rerum, & quæ copulatio; ut paulatim fiat usus, & ad similia transitus. Tradi enim omnia, quæ Ars efficit, non possunt.

Nam quis Pictor omnia, quæ in rerum natura sunt, adumbrare didicit? Sed præcepta semel imitandi ratione, assimilabit quicquid acceperit. Quid enim? Non faber vasculum aliquod, quale nunquam viderat, facit? Quædam vero non docentium sunt; sed discentium. Nam & Medicus quid in quoque valetudinis genere faciendum sit; quid, quibusve signis providendum, docebit. Vim sen-

H

(3) Cornific. *Rhetor. Lib.* 3. *cap.* 10.
(4) Quinct. *Instit. Orator. Lib.* 7. *cap.* 10.

ſentiendi pulſus venarum, caloris motus, ſpiritus meatum, coloris diſtantiam, quæ ſua cujuſque ſunt, ingenium dabit. Quare plurima petamus a nobis: & cum cauſsis deliberemus: cogitemuſque homines ante inveniſſe Artem, quàm docuiſſe. Illa enim potentiſsima eſt, quæque vere dicitur *OEconomica totius Cauſſæ Diſpoſitio*; quæ conſtitui, niſi velut in re præſenti, non poteſt. Ubi aſſumendum *Procemium*: ubi omittendum: ubi utendum *Expoſitione* continua; ubi partita: ubi ab Initiis incipiendum: ubi, more Homerico, a Mediis, vel Ultimis: ubi omnino non exponendum: quando a Noſtris; quando ab Adverſariorum *Propoſitionibus* incipiamus: quando a firmiſsimis probationibus, quando a levioribus: Qua in cauſſa proponendæ Procemiis Quæſtiones: Qua præparatione præmuniendæ: quid Judicis animus accipere poſsit ſtatim dictum: quò paulatim deducendus. Singulis, an univerſis opponenda Refutatio. Reſervandi *Perorationi*; an per totam Orationem diffundendi Affectus. De Jure prius, an de Æquitate dicendum: an anteacta Crimina: an de quibus Judicium eſt, prius objicere, vel diluere, conveniat. Si multiplices Cauſſæ erunt, qui ordo faciendus: quæ Teſtimonia Tabulæve cujuſque Generis in actione recitandæ: quæ reſervandæ. Hæc eſt velut Imperatoria virtus copias ſuas partientis ad caſus præliorum; retinentis partes propter caſtella tuenda, cuſtodiendaſve urbes, petendos commeatus, obſidenda itinera; mari denique ac terra dividentis. Sed hæc in Oratione præſtat omnia, cui affuerint natura, doctrina, ſtudium. Quare nemo exſpectet, ut alieno tantum labore ſit diſertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum: eſt facienda ſua cuique vis, uſus, ſua ratio: non reſpiciendum ad hæc; ſed in promptu habenda: nec tanquam tradita, ſed tanquam innata. Nam viam demonſtrare velociter Ars poteſt, ſi qua eſt: verum Ars ſatis præſtat, ſi copias Eloquentiæ ponit in medio. Noſtrum eſt uti eis ſcire. Reliqua partium eſt demum *Diſpoſitio*. Et in his ipſis primus aliquis ſenſus, & ſecundus, & tertius:

tius: qui non modo, ut ſint ordine collocati, elaborandum eſt; ſed ut inter ſe vincti, atque ita cohærentes, ne commiſſura pelluceat: corpus ſit, non membra. Quod ita continget, ſi & quid in quaque re conveniat, viderimus; ut verba verbis applicemus, non pugnantia, ſed quæ ſe invicem complectantur. Ita res diverſæ diſtantibus ex locis quaſi invicem ignotæ non collidentur: ſed aliquâ ſocietate cum prioribus ac ſequentibus ſe copulâ tenebunt: ac videbitur non ſolum compoſita Oratio; ſed etiam continua.

De Elocutione. Cap. XXVI.

INter quinque Artis Rhetoricæ Partes difficilimam eſſe Elocutionem inter omnes Oratores convenit. (1) Unde & apud Ciceronem Antonius ait, *ſe vidiſſe multos diſertos; eloquentem vero neminem.* Diſertis ſatis putat dicere, quæ oporteat; ornate autem dicere proprium eſſe eloquentiſsimi. Quæ virtus, ſi uſque ad eum in nullo reperta eſt, ac ne in ipſo quidem, aut L. Craſſo; certum eſt, & in his, & in prioribus eam deſideratam: quia difficillima fuit. Et M. Tullius *Inventionem* quidem ac *Diſpoſitionem* prudentis hominis eſſe putat; Eloquentiam, Oratoris: ideoque præcipue circa præcepta hujus partis elaboravit. Quod eum merito feciſſe etiam ipſo rei, de qua loquimur, nomine palam declaratur. Eloqui enim, hoc eſt, omnia quæ mente conceperis, promere atque ad audientes perferre, ſine quo ſupervacua ſunt priora, & ſimilia gladio condito, atque intra vaginam ſuam hærenti. Hoc itaque maxime docetur: hoc nullus niſi Arte aſſequi poteſt. Huc ſtudium adhibendum. Hoc exercitatio petit; hoc, imitatio: hîc omnis ætas conſumitur: hoc maxime Orator Oratore præſtantior: hoc Genera ipſa dicendi alia aliis potiora: ut appareat, in hoc & vitium, & virtutem eſſe dicendi. Non ideo tamen ſola eſt agenda cura verborum: occurram enim neceſſe eſt iis, qui omiſſâ rerum (qui nervi ſunt in cauſsis) dili-

(1) Quinct. *Inſtit. Orat. Lib. 8. In Proœm.*

gentiâ, quodam inani circa voces ſtudio ſeneſcunt: idque faciunt gratiâ decôris, quod eſt in dicendo mea quidem opinione pulcherrimum: ſed cum ſequitur; non cum affectatur. Sed opus eſt ſtudio præcedente, (2) & acquiſitâ facultate, & quaſi repoſitâ. Namque iſta quærendi, judicandi, comparandi anxietas, dum diſcimus, adhibenda eſt; non cum dicimus. Alioqui, ſicut qui patrimonium non pararunt, ſub diem quærunt; ita in Oratione, qui non ſatis laborarunt, ſi præparata vis dicendi non fuerit, erunt inofficioſi. Sunt tamen qui etiam cum optima ſint reperta, quærunt aliquid, quod ſit magis antiquum, remotum, inopinatum; nec intelligunt jacere ſenſus in Oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura *Elocutionis* quàm maxima, dum ſciamus tamen, nihil verborum cauſsâ eſſe faciendum, cum verba ipſa rerum gratiâ ſint reperta: quorum ea ſunt maxime probabilia, quæ ſenſum animi noſtri optime promunt: atque in animis Auditorum, quod nos volumus, efficiunt.

Igitur (3) quam Græci *Phraſin* vocant, Latine dicimus *Elocutionem*. Eam ſpectamus in verbis, aut ſingulis, aut conjunctis. In ſingulis intuendum eſt, ut ſint Latina, perſpicua, ornata, & ad id, quod efficere volumus, accommodata. In conjunctis, ut emendata, ut collocata, ut figurata. Sed ea quæ de ratione Latine atque emendate loquendi fuerunt dicenda, a Grammaticis commodiſsime pertractantur. Verum illic tantum, ne vitioſa ſint, præcipitur: hic non alienum eſt admonere, ut ſint quàm minime peregrina, & externa. Multos enim, quibus loquendi ratio non deſit, invenias, quos curioſe potius loqui dixeris, quàm Latine: quomodo & illa Attica anus Theophraſtum hominem alioqui diſertiſsimum, annotatâ unius affectatione verbi, *Hoſpitem dixit*: nec alio ſe id deprehendiſſe interrogata reſpondit, quàm quod nimium Attice loqueretur. Et in T. Livio, miræ facundiæ viro, putat ineſſe Pollio Aſinius quandam *Patavini-*

(2) Quinct. *Inſtit. Orat. Lib.* 8. *In Procem.*
(3) Quinct. *Inſtit. Orat. Lib.* 8. *cap.* 1.

nitatem. Quare, si fieri potest, & verba omnia, & vox, hujus alumnu urbis olere debent: ut Oratio plane Romana videatur; non civitate donata.

Perspicuitas (4) in verbis præcipuam habet proprietatem: sed proprietas ipsa non simpliciter accipitur. Primus enim intellectus est, sua cujusque rei appellatio, quâ non semper utimur. Nam & obscœna vitabimus, & sordida, & humilia. Non tamen quidquid non erit proprium, improprii vitio laborabit: quia multa sunt Græce, & Latine non denominata: unde abusio, quæ *Catachresis* dicitur, & translatio, quæ *Metaphora*, est necessaria. Quare proprietas non ad nomen, sed ad vim significandi refertur. Alio modo dicitur proprium inter plura, quæ sunt ejusdem nominis, unde cætera dicta sunt: ut *Vortex*, qui de aqua proprie dicitur: de aliis rebus, per Translationem.

Tertius modus est huic diversus: cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium, ut Carmen funebre, proprie *Nænia.* Item quod commune est & aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: ut *Urbs* pro Roma. Sed ne in his quidem virtus Oratoris inspicitur. Alio modo dicitor *Proprium*, quo nihil inveniri potest significantius: ut quod *deductum carmen* dixit Virgilius.

At obscuritas fit in verbis ab usu remotis, de quibus Horatius.

—Et nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastiiit, & odit.
Sic fautor veterum, ut Tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina ratum,
Dictitet Albano Musas in monte locutas.

Et paulo post.

Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, & illud
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri.

Hinc

(4) Quinct. *Instit. Orat. lib.* 8, *cap.* 2.

Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam soli scire videantur. Plus tamen est obscuritatis in contextu & continuatione sermonis: & id quidem pluribus modis. Quare nec sit longus, nec in hyperbaton solutus, nec longis interjectionibus impeditus. Vitanda est imprimis Ambiguitas. Sit ordo rectus: non in longum dilata Conclusio. Nihil nec desit; neque supefluat: ita sermo, & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Sed vis Oratoris omnis in augendo, minuendoque consistat. Utrique parti totidem modi, ex quibus præcipuos attingemus.

De Amplificatione, & Sententia. Cap. XXVII.

PRima est (1) amplificandi, vel minuendi species in ipso rei nomine: ut cum eum qui sit *cæsus*, *occisum*; eum qui sit *improbus*, *latronem*: contraque eum, qui *pulsavit*, *attigisse*; qui *vulveravit*, *læsisse*, dicimus.

Quatuor modis constat Amplificatio, *Incremento*, *Comparatione*, *Ratiocinatione*, *Congerie*. *Incrementum* est potentissimum, cum magna videntur, etiam quæ inferiora sunt, ut Cicero. *Facinus est vincire civem Romanum; scelus, verberare; prope paricidium, necare: quid dicam, in crucem tollere?* Fit & aliter supra summum adjectio: ut apud Virgilium de Lauso:

—Quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Summum enim est, *quo pulchrior alter non fuit.* Huic deinde aliquid suprapositum est.

Est & alius modus, ad quem non per gradus itur: sed quo nihil est majus: ut, *Matrem tuam occidisti. Quid dicam amplius? Matrem tuam occidisti.* Nam & hoc augendi genus est, tantum aliquid efficere, ut non possit augeri. Crescit Oratio minus aperte; sed nescio an hoc ipso efficacius, cum citra distinctionem in contextu, & cursu, aliquid priore majus insequitur: ut de vomitu in Antonium Cicero. *In cœtu verò Populi Romani, negotium publicum gerens Magister equitum.* Singula enim incre-

(1) Quinct. *Instit. Orat. Lib.* 8. *cap.* 4. *Initio.*

crementum habent. Verum, ut hæc Amplificatio in superiora tendit; ita, quæ fit per *Comparationem*, Incrementum ex *Inferioribus* petit. Augendo enim quod est infra, necesse est, ut extollatur quod supra positum est: ut idem Cicero ibidem. *Si hoc tibi inter cœnam & in illis immanibus poculis tuis accidisset; quis non turpe duceret? In cœtu verò Populi Romani*, & quæ sequuntur.

Per Ratiocinationem fit *Amplificatio*, cum, ut aliud crescat, aliud augetur: ut, cum Hectoris fortitudo laudatur ut Achillis crescat; & Hannibalis, ut Scipionis.

Per *Congeriem* quoque verborum ac Sententiarum idem significantium fit Amplificatio: nam etiamsi non per gradus ascendant; tamen velut acervo quodam allevantur: ut Cicero. *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? Qui sensus erat armorum tuorum? Quæ tua mens? Oculi? Manus? Ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas?* Eadem est fere ratio *minuendi*: nam totidem sunt descendentibus, quot ascendentibus gradus.

Sententia uno modo accipitur pro eo quod animo sentimus: alio modo, pro decreto: ut cum a Judice fertur Sententia. Sed impræsentiarum Sententia est *Oratio sumpta de vita*: (2) *quæ, aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit.* Sed consuetudo jam tenuit, (3) ut mente concepta, *Sensus* vocaremus; lumina autem præcipueque in clausulis posita, *Sententias*: quæ minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent. Est igitur *Sententia* vox universalis: quæ etiam citra Caussæ complexum possit esse laudabilis: ut, *Nihil est tam populare, quàm bonitas.* Quæ simplex est: aut ratione subjecta: ut, *Nam in omni certamine qui opulentior est, etiamsi, accipit injuriam; tamen quia plus potest, facere videtur.* Nonnumquam duplex est: ut, *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Illud notabile ex diversis: ut, *Mors misera non est: aditus ad mor-*

(2) Cornificius *Rhetor. Lib.* 4. *cap.* 17.
(3) Quinct. *Instit. Orat. Lib.* 8. *cap.* 5.

mortem miſer eſt. Tam deeſt avaro quod habet, *quàm quod non habet.* Sed majorem vim accipiunt ex mutatione figuræ: ut, *Uſque adeone mori miſerum eſt*? Acrius enim hoc eſt, quàm, *Per ſe mors miſera non eſt.* Et Tranſlatione a communi ad proprium. Nam cum ſit rectum, *Nocere facile eſt*; *prodeſſe*, *difficile*; vehementius apud Ovidium Medea dicit, *Servare potui*: *perdere an poſſim, rogas*? Vertit ad Perſonam Cicero: *Nihil habet*, *Cæſar, nec fortuna tua majus*, *quàm ut poſſis*: *nec natura melius, quàm ut velis ſervare quamplurimos.* Ita quæ erant rerum propria, fecit hominis. In hoc Genere cuſtodiendum eſt, ne crebræ ſint; ne palam falſæ; ne paſſim a quocunque dicantur. Magis enim decent eos in quibus eſt auctoritas, ut rei pondus etiam Perſona confirmet. Ego verò hæc lumina Orationis, velut oculos quoſdam eloquentiæ eſſe credo. Sed neque oculos eſſe toto corpore velim, ne cætera membra ſuum officium perdant.

Reſtabat hoc in loco aliquid de *Tropis*, & *Figuris*: ſed quia hæc Pars apud Grammaticos etiam protrita eſt, omittimus. Nunc ad cæteras Rhetoricæ Partes tranſgrediamur.

De Memoria. Cap. XXVIII.

MEmoriam quidam naturæ modo eſſe munus exiſtimaverunt; (1) eſtque in ea non dubie plurimum; ſed ipſa excolendo, ſicut alia omnia, augetur: & totus, de quo diximus adhuc, inanis eſt labor, niſi cæteræ partes hoc veluti ſpiritu contineantur. Nam & omnis Diſciplina Memoriâ conſtat: fruſtraque docemur, ſi quidquid audimus, præterfluat: & exemplorum, legum, reſponſorum, dictorum, beneque factorum velut quaſdam copias, quibus abundare, quaſque in promptu ſemper habere debet Orator, eadem illa vis repræſentat. Neque immerito Theſaurus hic Eloquentiæ dicitur. Sed non firme tantum continere; verum etiam cito percipere multa acturos oportet. Nec quæ ſcripſeris modo, iterata lectione complecti; ſed in cogitatis quoque rerum ac ver-

(1) Quinct. *Inſtit. Orat. Lib.* 11. *cap.* 2. *In Princ.*

verborum contextum ſequi: & quæ ſint ab adverſa parte dicta, meminiſſe, nec utique eo, quo dicta ſunt, ordine refutare; ſed opportunis Locis ponere. Quid? Extemporalis Oratio non alio mihi videtur mentis vigore conſtare. Nam dum alia dicimus; quæ dicturi ſumus, intuenda ſunt. Ita cum ſemper cogitatio ultra id, quod eſt, longius quærit; quidquid interim repetit, quodammodo apud Memoriam deponit: quod illa quaſi media quædam manus, acceptum ab *Inventione* tradit *Elocutioni*. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum, quid ſit quod Memoriam faciat. Quamquam plerique imprimi quædam veſtigia noſtro animo, quæ velut in ceris anulorum ſigna, ſerventur, exiſtimant. Neque ero tam credulus, ut quaſi habitu tardiorem, firmioremque Memoriam fieri putem. Ejus autem, quod ad animum pertinet, magis admirere naturam, ſubito res vetuſtas tanto ex intervallo repetitas reddere ſe, & offerre: nec tantum requirentibus; ſed etiam ſponte interim: nec vigilantibus; ſed etiam quiete compoſitis magis: eoque illa quoque animalia, quæ carere intellectu videmus, meminerunt, & agnoſcunt: & quamlibet longo itinere deducta, ad aſſuetas ſibi ſedes revertuntur. Quid? Non hæc varietas mira eſt, excidere proxima, vetera inhærere? heſternorum immemores, acta pueritiæ recordari? Quid? quod quædam, requiſita ſe occultant; & eadem forte ſuccurrunt? Nec manet ſemper Memoria: ſed aliquando etiam redit. Neſciretur tamen quanta vis eſſet ejus, quanta divinitas, niſi in hoc lumen orandi vim extuliſſet. Non enim rerum modo; ſed etiam verborum ordinem præſtat. Nec ea pauca coutexit; ſed durat prope in infinitum: & in longiſsimis actionibus prius audiendi patientia, quàm memoriæ fides deficit. Quod & ipſum argumento eſt, ſubeſſe Artem aliquam, juvarique ratione Naturam; cum idem docti facere; illud indocti & inexercitati non poſsimus. Quamquam invenio apud Platonem, obſtare Memoriæ uſum literarum: videlicet quòd illa, quæ ſcriptis repoſuimus, velut cuſtodire de-

ſinimus: & ipsâ ſecuritate dimittimus. Nec dubium eſt, quin plurimum in hac parte valeat Mentis intentio: & velut acies luminum a proſpectu rerum quas intuetur, non averſa. Unde accidit, ut quæ per plures dies ſcribimus ediſcendi cauſsâ, cogitatione ipſa contineat. Artem autem Memoriæ primus oſtendiſſe dicitur Simonides, cujus vulgata fabula eſt: cum Pugili coronato carmen, quale componi victoribus ſolet, mercede pactâ ſcripſiſſet; abnegatam ei pecuniæ partem, quòd de more Poëtis frequentiſsimo digreſſus, in laudes Caſtoris, & Pollucis exierat: quapropter partem ab iis petere, quorum facta celebraſſet, jubebatur: & perſolverunt, ut traditum eſt. Nam cum eſſet grande convivium in honorem ejuſdem victoriæ; atque adhibitus ei cœnæ Simonides, nuncio eſt excitus, quòd eum duo juvenes equis advecti deſiderare majorem in modum dicebantur: & illos quidem non invenit: fuiſſe tamen gratos erga ſe exitu comperit. Nam vix eo limen egreſſo, triclinium illud ſupra convivas corruit: atque ita contudit, ut non ora modo oppreſſorum, ſed membra etiam omnia requirentes ad ſepulturam propinqui nullâ notâ poſſent diſcernere. Tum Simonides dicitur memor ordinis, quo quiſque diſcubuerat, corpora ſuis reddidiſſe. Ex hoc Simonidis facto notatum videtur, juvari Memoriam ſignatis animo ſedibus: idque credet ſuo quiſque experimento. Nam cum in loca aliqua poſt tempus reverſi ſumus, non ipſa agnoſcimus tantum; ſed etiam quæ in iis fecerimus, reminiſcimur: perſonæque ſubeunt: nonnunquam tacitæ quoque cogitationes in mentem revertuntur. Nata eſt igitur, ut in pleriſque, Ars, ab experimento. Igitur Memoria (2) utrum habeat quiddam Artificii, an omnis a Natura proficiſcatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur. Nunc perinde atque conſtet in hac re multum valere Artem, & Præceptionem; ita de ea re loquemur. Placet enim nobis eſſe Artificium memoriæ: quare placeat, aliàs oſtendemus: in præſentia cujuſmodi ſit ea, aperiemus.

Sunt

(2) Cornific. *Lib.* 3. *cap.* 16.

Sunt igitur duæ Memoriæ: una Naturalis; altera, Artificiosa. *Naturalis* est ea, quæ nostris animis insita est; & simul cum cogitatione nata. *Artificiosa* est ea, quam confirmat inductio quædam & ratio præceptionis. Sed quia in cæteris rebus ingenii bonitas imitatur sæpe doctrinam; Ars porro Naturæ commoda confirmat, & auget; ita fit in hac re, ut nonnunquam Naturalis Memoria, si cui data est egregia, similis sit huic Artificiosæ. Porro hæc Artificiosa, Naturæ commoda retinet, & amplificat ratione doctrinæ. Quapropter & Naturalis Memoria præceptione confirmanda est, ut sit egregia: & hæc, quæ doctrinâ datur, indiget ingenii: nec hoc magis, aut minus, in hac re, quàm in cæteris Artibus fit: ut ingenio doctrina; præceptione Natura nitescat. Quare & illis, qui natura memores sunt, utilis hæc erit institutio: quod tute paulo post poteris intelligere. Quod si illi freti suo ingenio, nostra præceptione non indigerent; tamen justa caussa daretur, quare iis, qui minus ingenii habent, adjumento velimus esse. Nunc de Artificiosa Memoria loquemur.

Constat igitur Artificiosa Memoria (3) ex *Locis*, & *Imaginibus*. *Locos* appellamus eos, qui breviter, perfecte, insignite, aut naturâ, aut manu, sunt absoluti, ut eos facile naturali Memoria comprehendere, & amplecti queamus: ut ædes, intercolumnium, angulum, fornicem, & alia, quæ his similia sunt. *Imagines* sunt formæ quædam, & notæ, & simulacra ejus rei, quam meminisse volumus: quod genus equi, leones, aquilæ, quorum memoriam si volemus habere, Imagines eorum certis in Locis collocare nos oportebit.

Nunc cujusmodi Locos invenire, & quo pacto reperire; & in Locis Imagines constituere oporteat; ostendemus. Quemadmodum igitur qui literas sciunt, possunt id quod dictatum est, scribere, & recitare quod scripserunt; ita qui Artem Memoriæ didicerunt, possunt quæ audierunt, in Locis collocare: & ex his memoriter pronunciare.

(3) Cornific. *Lib.* 3. *Rhetor. cap.* 16.

ciare. *Loci* enim, ceræ, aut chartæ, ſimillimi ſunt; *Imagines*, litteris; Diſpoſitio, & collocatio imaginum, ſcripturæ; Pronuntiatio, lectioni. Oportet igitur, ſi volumus, multa meminiſſe, multos nobis Locos comparare: ut in multis Locis multas Imagines collocare poſsimus. Item putamus oportere, ex ordine hos Locos habere, ne quando perturbatione ordinis impediamur; quo citius quoto quoque Loco libebit, vel a ſuperiore, vel ab inferiore, vel a media parte Imagines ſequi ut ea, quæ mandata Locis erunt, edere, & proferre poſsimus. Nam, ut, ſi in ordine ſtantes notos complures viderimus, nihil noſtra interſit, utrum a ſummo, an ab imo, an ab medio, nomina eorum dicere incipiamus; item in Locis ex ordine collocatis inveniet, ut in quamlibet partem quoto quoque Loco libebit, imaginibus commoniti, dicere poſsimus id, quod Locis mandaverimus. Quare placet & ex Ordine Locos comparare; & Locos, quos aſſumpſerimus, egregie commoditerque notare oporrebit, ut perpetuo nobis hærere poſsint. Nam *Imagines*, ſicut litteræ, delentur, ubi nihil illis utimur: *Loci*, tanquam cera, remanere debent. Et, ne forte in numero Locorum falli poſsimus, quintum quenque Locum placet notari: quod genus, ſi in quinto Loco manum auream collocemus; & ſi in decimo aliquem notum, cui prænomen ſit Decimo; deinde facile erit quinto quoque Loco ſimiles notas collocare. Item commodius eſt in derelicta, quàm in celebri regione Locos comparare: propterea quod frequentia, & obambulatio hominum conturbat, & infirmat imaginum notas; ſolitudo conſervat integras ſimulacrorum figuras. Præterea diſsimiles formâ atque naturâ Loci comparandi ſunt, ut diſtincte interlucere poſsint. Nam ſi quis multa intercolumnia ſumpſerit, conturbabitur ſimilitudine Locorum: & ignorabit quid in quoquo Loco collocarit. Et magnitudine modicâ, & mediocres Locos habere oportet. Nam & præter modum ampli vagas Imagines reddunt; & nimis anguſti ſæpe non videntur poſſe capere Imaginum collocatio-

tionem. Tum nec nimis illustres, nec vehementer obscuros Locos haberi oportet, ne aut obcæcentur tenebris Imagines; aut splendore præfulgeant. Intervalla Locorum mediocria esse oportet, fere paulo plus, aut minus, pedum tricenûm. Nam ut aspectus, ita cogitatio minus valet; sive nimis procul removeris, sive vehementer prope admoveris id, quod oportet videri. Sed quamquam facile est ei, qui paulo plura exploraverit, quamvis multos, & idoneos Locos comparare; tamen si quis ad ista satis idoneos invenire se non putabit; ipse sibi constituat quam volet multos, licebit. Cogitatio enim quamvis regionem potest amplecti; & in ea situm Loci cujusdam ad suum arbitrium fabricari, & architectari. Quare licebit, si hac promptâ copiâ contenti non erimus, nosmetipsos cogitatione nostrâ regionem constituere, & idoneorum Locorum commodissimam distinctionem comparare. De Locis satis dictum est. Nunc ad Imaginum rationem transeamus.

Quoniam ergo rerum similes *Imagines* esse oportet; ex omnibus verbis nosmet notas nobis similitudines eligere debemus. Duplices igitur Similitudines esse debent: unæ rerum; alteræ verborum. Rerum Similitudes exprimuntur, cum summatim ipsorum negotiorum Imagines comparamus. Verborum Similitudines constituuntur, cum uniuscujusque nominis, & vocabuli memoria Imagine notatur. Rei totius memoriam sæpe unâ notâ, & Imagine simplici comprehendemus hoc modo: ut, si Accusator dixerit, *Ab reo hominem veneno necatum*: & hæreditatis caussâ factum arguerit: *Et ejus rei multos dixerit testes, & conscios esse*: si hoc primum, ut ad defendendum nobis expeditum sit, meminisse volemus; in primo Loco rei totius Imaginem conformabimus: ægrotum in lecto cubantem faciemus ipsum illum, de quo agetur, si formam ejus detinebimus. Si eum non cognoverimus, aliquem ægrotum non de minimo loco sumemus, ut cito in mentem venire possit: & Reum ad lectum ejus adstituemus, dextrâ poculum, sinistrâ tabu-

las,

las; Medico testiculos arietinos tenente. Hoc modo, & testium, & hæreditatis, & veneno necati Memoriam habere poterimus. Item deinceps cætera omnia ex ordine in Locis ponemus. Et quotiescunque rem meminisse volemus; sic formarum dispositione & Imaginum diligenti notatione utemur, ut facile ea quæ volemus, memoriâ consequamur.

Cum verborum similitudines Imaginibus exprimere volemus, plus negotii sumemus; & magis ingenium nostrum exercebimus. Id nos hoc modo facere oportebit. *Jam domi ultionem Reges Atridæ parant.* In Loco constituere oportet manus ad cœlum tollentem Domitium, cum a Regibus *Marciis* loris cædebatur. Hoc erit, *Jam domi ultionem Reges.* In altero loco Æsopum & Cimbrum subornare, & Iphigeniam vagantem: hoc erit, *Atridæ parant.* Hoc modo omnia verba erunt expressa.

Sed hæc Imaginum conformatio tum valet, si naturalem Memoriam exsuscitaverimus ab hac notatione, ut versu posito ipsi nobiscum primum transeamus bis aut ter eum versum: deinde cum Imaginibus verba exprimamus. Hoc modo Naturæ suppeditabitur doctrina. Nam utraque alterâ separatâ minus erit firma: ita tamen ut multo plus in doctrina, atque Arte præsidii sit: quod docere non gravaremur, ni metueremus, ne cum ab instituto nostro recessissemus, minus commode servaretur hæc dilucida brevitas præceptionis.

Nunc quoniam solet accidere, ut Imagines partim firmæ, & ad monendum idoneæ sint; partim, imbecilles, & infirmæ, quæ vix Memoriam possint excitare; qua de caussa utrumque fiat, considerandum est, ut cognitâ caussâ, quas vitemus, & quas sequamur Imagines, scire possimus. Docet igitur nos ipsa Natura, quid oporteat fieri. Nam si quas res in vita videmus parvas, usitatas, quotidianas, eas meminisse non solemus; propterea quod nullâ nisi novâ aut admirabili re commovetur animus: at si quid videmus, aut audimus egregie turpe, aut honestum, inusitatum, magnum, incredibile, ridicu-

cu-

culum; id diu meminiſſe conſuevimus. Itemque, quas res ante ora videmus, aut audimus, obliviſmur plerumque: quæ acciderunt in pueritia, meminimus optime ſæpe. Nec hoc alia de cauſſa poteſt accidere, niſi quod uſitatæ res facile e Memoria labuntur; inſignes, & novæ, diutius in animo manent. Solis exortus, curſus, occaſus, nemo admiratur, propterea quia quotidie fiunt. At eclypſim Solis miramur, quia raro accidit: & Solis eclypſim magis miramur quàm Lunæ, quoniam hæ crebriores ſunt. Docet ergo nos Natura vulgari & uſitata re non excitari: novitate vero & inſigni quodam negotio commoveri.

Imitetur igitur Ars Naturam, & quod ea deſiderat, inveniet; ſi quod oſtendit, ſequatur. Nihil eſt enim, quod aut Natura extremum invenerit; aut doctrina, primum: quia rerum principia ab ingenio profecta ſunt; & exitus diſciplinâ comparantur. *Imagines* igitur nos in eo genere conſtituere oportebit, quod genus in memoria diutiſsime poſsit remanere. Id accidet, ſi quàm maxime notas ſimilitudines conſtituemus: ſi non mutas, nec vagas, ſed aliquid notum agentes Imagines ponemus: ſi egregiam pulchritudinem, aut unicam turpitudinem eis attribuemus: ſi aliqua re exornabimus: ut ſi coronâ, aut veſte purpurea, quo notior nobis ſit ſimilitudo: aut ſi aliquam rem deformabimus: ut, ſi cruentam, aut cœno oblitam, aut rubrica delibutam inducamus, quo magis inſignita ſit forma: aut ſi ridiculas res aliquas Imaginibus attribuemus. Nam ea res quoque faciet, ut facilius meminiſſe poſsimus. Nam quas res veras facile meminimus, eaſdem fictas, & diligenter notatas meminiſſe non eſt difficile.

Sed illud facere oportebit, ut identidem primos quoſque Locos Imaginum renovandarum cauſsâ celeriter animo percurramus. Scio pleroſque Græcos, qui de Memoria ſcripſerunt, feciſſe, ut multorum verborum Imagines conſcriberent, ut qui eas diſcere vellent, paratas haberent: ne quid in quærendo operæ conſumerent: quorum

ra-

rationem aliquot de caussis improbamus. Primum quod in verborum innumerabilium multitudine ridiculum sit mille verborum Imagines comparare. Quantulum enim poterunt hæ valere, cum ex infinita verborum copia modo unum, modo aliud nos verbum meminisse oportebit? Deinde cur volumus ab industria quemquam removere, ut ne quid ipse quærat, cum nos illi omnia parata quæsitaque tradamus? Præterea similitudine alia alius magis commovetur. Nam, ut sæpe formam si quam similem cuipiam dixerimus esse, non omnes habemus assensores, quòd alii videtur aliud; ita fit in Imaginibus, ut quæ nobis diligenter notata sit, ea parum videatur insignis aliis. Quare sibi quemque commodo suo convenit Imagines comparare. Postremo præceptoris est docere quemadmodum quæri quidque conveniat: & unum aliquod, aut alterum; non omnia, quæ ejus generis erunt, exempli caussa subjicere, quo res esse possit dilucilior. Ut cum de Procemiis quærendis disputamus, rationem damus quærendi; non mille Procemiorum Genera conscribimus: ita arbitramur de Imaginibus fieri convenire. Nunc, ne forte verborum memoriam, aut nimis difficilem, aut parum utilem arbitreris, & ipsarum memoriâ rerum contentus sis; quod & utiliores sint, & plus habeant facilitatis, admonendus es, quare verborum memoriam non improbemus. Nam putamus oportere eos, qui velint res faciliores sine labore & molestia facile meminisse, in rebus difficilioribus esse ante exercitatos. Nec nos hanc verborum memoriam inducimus ut versus meminisse possimus; sed ut hac exercitatione illam rerum memoriam, quæ pertinet ad utilitatem, confirmemus; ut ab hac difficili consuetudine sine labore ad illam facilitatem transire possimus. Sed cùm in omni disciplina infirma est Artis præceptio sine summa assiduitate exercitationis; tum vero in Memoriis minimum valet doctrina, nisi industriâ, studio labore, diligentiâ comprobetur. Quamplurimos Locos ut habeas, & quam maxime ad præcepta accommodatos, curare debebis. In Imaginibus collocandis

dis

dis exerceri quotidie conveniet: non enim ſicut a cæteris ſtudiis abducimur nonnunquam occupatione; ita ab hac re nos poteſt cauſſa deducere aliqua. Nunquam eſt enim quin aliquid Memoriæ tradere velimus: & tum maxime, cum aliquo majore officio detinemur. Quare cum ſit utile facile meminiſſe; non te fallit quòd tantopere utile ſit, quanto labore ſit appetendum: quod poteris exiſtimare utilitate cognitâ. Pluribus verbis ad eam te hortari non eſt ſententia, ne aut tu noſtro, aut nos tuo ſtudio diffidere, aut minus quàm res poſtulat, dixiſſe videamur.

De Pronunciatione. Cap. XXIX.

P*Ronunciatio* a pleriſque *Actio* dicitur: (1) ſed prius nomen a Voce; ſequens a Geſtu videtur accipere. Namque Actionem Cicero alias *quaſi Sermonem*; alias, *Eloquentiam quandam corporis dicit.* Idem tamen duas ejus partes facit: quæ ſunt eadem Pronunciationis, *Vocem*, atque *Motum.* Quapropter utrâque appellatione indifferenter uti licet. Habet autem res ipſa miram quandam in Orationibus vim ac poteſtatem.

Neque enim tam refert qualia ſint, quæ intra noſmetipſos compoſuimus; quàm quo modo efferantur: nam ita quiſque, ut audit, movetur. Quare neque probatio ulla, quæ modo venit ab Oratore, tam firma eſt, ut non perdat vires ſuas, niſi adjuvetur aſſeveratione dicentis. Affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardeſcant. Nam cum hæc omnia fecerimus, felices, ſi tamen noſtrum illum ignem Judex conceperit, nedum eum ſupini ſecurique moveamus; ac non & ipſe noſtra oſcitatione ſolvatur. Documento ſunt vel ſcænici Actores, qui & optimis poëtatum tantum adjiciunt gratiæ, ut nos infinite magis eadem illa audita, quàm lecta, delectent: & viliſsimis etiam quibuſdam impetrent aures, ut, quibus nullus eſt in Bibliothecis locus, ſit etiam frequens in Theatris. Quod ſi in rebus, quas fictas eſſe ſcimus, & inanes, tan-

(1) Quinct. *Inſtit. Orator. Lib.* 11. *cap.* 3. *Initio.*

tum *Pronunciatio* poteſt, ut iram, lachrymas, ſolicitudinem afferat; quanto plus valeat neceſſe eſt, ubi & credimus? Equidem vel mediocrem Orationem commendatam viribus Actionis affirmaverim plus habituram eſſe momenti, quàm optimam eâdem illâ deſtitutam. Siquidem & Demoſthenes quid eſſet in toto genere dicendi ſummum interrogatus, *Pronunciationi* palmam dedit: eidemque ſecundum, ac tertium locum: donec ab eo quæri deſineret, ut eam videri poſset non præcipuam; ſed ſolam judicaſſe.

Sunt igitur in primis Oratori futuro procul oris vitia removenda: (2) ut expreſſa ſint verba: ut ſuis quæque literæ ſonis enuncientur. Quarundam enim vel exilitate, vel pinguetudine nimia laboramus: qnaſdam velut acriores parum efficimus; & aliis non diſsimilibus, ſed quaſi hebetioribus permutamus. Quippe *Rho* literæ, qua Demoſthenes quoque laboravit, *Lambda* ſuccedit: quarum vis eſt apud nos quoque: & cum C. ac ſimiliter G. non valuerunt, in T. ac D. molliuntur. Ne in puero quidem illas circa S. literam delicias hic magiſter feret: nec verba in faucibus patietur audiri: nec oris inanitate reſonare: nec, quod minime ſermoni puro conveniat, ſimplicem vocis naturam pleniore quodam ſono circumlinire, quod Græci *Catapepláſmenon* dicunt. Sic appellatur cantus tibiarum, quæ præcluſis, quibus clareſcunt foraminibus, recto modo exitu graviorem ſpiritum reddunt. Curabit etiam, ne extremæ ſyllabæ intercidant, ut par ſibi ſermo ſit: ut quoties exclamandum erit, laterum conatus ſit ille, non capitis; ut geſtus ad vocem; vultus ad geſtum accommodetur. Obſervandum erit etiam, ut recta ſit facies dicentis, ne labra diſtorqueantur, ne immodicus hiatus rictum diſtendat, ne ſupinus vultus, ne dejecti in terram oculi, ne inclinata utròlibet cervix. Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos, quorum ſupercilia ad ſingulos vocis conatus allevarentur; aliorum, conſtricta; aliorum etiam, diſsidentia; cum altero

(2) Quinct. *Inſtit. Orat. Lib.* 1. *cap.* 11.

tero in verticem tenderent; altero pene oculus ipse premeretur. Infinitum autem in his quoque rebus momentum est: & nihil potest placere, quod non decet.

Debet etiam docere Comoedus, quomodo narrandum; quâ sit auctoritate suadendum; quâ concitatione consurgat ira; qui flexus deceat miserationem. Quod ita optime faciet, si certos ex Comoediis elegerit Locos, & ad hoc maxime idoneos, id est, *Actionibus* similes. Iidem autem ad pronunciandum non modo utilissimi; verum ad augendam quoque eloquentiam maxime accommodati erunt. Et hæc, dum infirma ætas majora non capiet: cæterum cum legere Orationes oportebit; cum virtutes earum jam sentiet; tum mihi diligens aliquis ac peritus assistat: neque solum lectione formet; verum etiam ediscere electa ex his cogat, & ea dicere stantem clare: & quemadmodum agere oportebit; ut protinus pronunciatione vocem & memoriam exerceat. Nec illos quidem reprehendendos puto, qui paulum etiam palæstricis vacaverunt. Non de iis loquor, quibus pars vitæ in oleo, pars in vino consumitur, qui corporis curâ mentem obruerunt: hos enim abesse ab eo, quem instituimus, quàm longissime velim. Sed nomen est idem iis, a quibus gestus motusque formantur: ut recta sint brachia, ne indoctæ rusticæve manus; ne status indecorus; ne qua in proferendis pedibus inscitia; ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant. Nam nec hoc esse in parte *Pronunciationis* negaverit quisquam: nec ipsam *Pronunciationem* ab Oratore secernet: & certe quæ facere oporteat, non indignandum est discere, cum præsertim hæc *Chironomia*, quæ est, ut nomine ipso declaratur, Lex gestûs, & ab illis temporibus heroicis orta sit, & a summis Græciæ viris, & ab ipso etiam Socrate probata; a Platone quoque in parte Civilium posita Virtutum: & a Chrysippo *in Præceptis de Liberorum Educatione* compositis non omissa.

Dividitur igitur *Pronunciatio* (3) in Vocis *Figuram*,

(3) Cornific. *Lib.* 3. *cap.* 11.

& Corporis *Motum. Figura Vocis est*, quæ ſuum quendam poſsidet habitum ratione & induſtria comparatum. Ea divitur in tres partes, *Magnitudinem*, *Firmitudinem*, *Mollitudinem*. *Magnitudinem* Vocis maxime comparat Natura: nonnihil hanc auget, ſed maxime conſervat Cura. *Firmitudinem* Vocis maxime Natura comparat: nonnihil adauget, & maxime conſervat execitatio Declamationis. *Mollitudinem* Vocis, hoc eſt, ut eam torquere in dicendo pro noſtro commodo poſsimus, maxime faciet exercitatio declamationis. Quapropter de *Magnitudine* vocis, & *Firmitudinis* parte, quoniam altera Curâ, altera Naturâ comparatur, nihil ad nos attinet commonere; niſi ut ab iis, qui non inſcii ſunt ejus Artificii, ratio curandæ vocis petatur.

De ea parte *Firmitudinis*, (4) quæ conſervatur ratione Declamationis; & de Mollitudine Vocis; quæ maxime neceſſaria eſt Oratori, quoniam ea quoque moderatione Declamationis comparatur, dicendum videtur.

Firmam igitur maxime poterimus in dicendo Vocem conſervare, ſi quàm maxime ſedatâ & depreſsâ voce Principia dicemus. Nam læduntur arteriæ, ſi antequàm leni voce permulſæ ſunt, acri clamore compleantur. Etiam intervallis longioribus uti conveniet: recreatur enim vox ſpiritu: & arteriæ, reticendo requieſcunt: & continuum clamorem remittere, & ad Sermonem redire oportet pariter. Commutationes enim faciunt, ut nullo genere vocis effuſo in omni voce integri ſimus. Et acutas vocis exclamationes vitare debemus: ictus enim fit; & vulnerantur arteriæ acutâ atque attenuatâ nimis acclamatione: & ſi quis ſplendor eſt vocis, conſumitur uno clamore univerſus: & uno ſpiritu continenter multa dicere convenit in extrema Oratione. Fauces enim calefiunt; & arteriæ complentur: & vox, quæ varie tractata eſt, reducitur in quendam ſonum æquabilem, atque conſtantem. Sæpe rerum naturæ gratia quædam jure debetur, velut accidit in hac re: nam quod diximus ad vocem ſer-

(4) Cornific. *Lib.* 3. *cap.* 12.

ſervandam prodeſſe, idem attinet ad Suavitatem pronunciationis, ut quod noſtræ voci proſit, idem voluntate Auditoris probetur. Utile eſt ad *Firmitudinem* Vocis ſedata vox in Principio. Quid enim inſuavius, quàm clamor in *Exordio* cauſſæ? Intervalla vocem confirmant: eadem Sententias concinniores diviſione reddunt, & Auditori ſpatium cogitandi relinquunt. Conſervat Vocem continui clamoris remiſsio: & Auditorem quidem maxime delectat varietas, cum ſermone animum ejus retinet; aut exſuſcitat clamore.

Acuta exclamatio vocem & fauces vulnerat: eadem lædit Auditorem: habet enim quiddam illiberale: & ad muliebrem potius vociferationem, quàm ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum. In extrema Oratione Continens Vox remedio eſt Voci. Quid? Hæc eadem nonne animum vehementiſsime calefacit Auditoris in totius concluſione cauſſæ? Quoniam igitur res eædem vocis *Firmitudini* & Pronunciationis *Suavitati* proſunt; de utraque re ſimul erit in præſentia dictum; de Firmitudine, quæ viſa ſunt, & de Suavitate, quæ conjuncta fuerunt: cætera ſuo loco poſt dicemus.

Mollitudo igitur Vocis, (5) quoniam omnis ad Rhetoris præceptionem pertinet, diligentius nobis conſideranda eſt. Eam dividimus in *Sermonem*, *Contentionem*, & *Amplificationem*.

Sermo eſt Oratio remiſſa, & finitima quotidianæ Locutioni. *Contentio* eſt Oratio acris, & ad confirmandum, & confutandum, accommodata. *Amplificatio* eſt Oratio, quæ, aut in iracundiam inducit; aut ad miſericordiam trahit Auditoris animum. *Sermo* dividitur in partes quattuor, *Dignitatem*, *Demonſtrationem*, *Narrationem*, *Jocationem*.

Dignitas eſt Oratio cum aliqua gravitate & vocis remiſsione.

Demonſtratio eſt quæ docet remiſsâ voce quomodo quid fieri potuerit, aut non potuerit.

Nar-

(5) Cornific. *Lib.* 3. *cap.* 13.

Narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum expoſitio.

Jocatio eſt Oratio, quæ ex aliqua re veriſimili riſum pudentem & liberalem movere poteſt.

Contentio dividitur in Continuationem, & in Diſtributionem.

Continuatio eſt Orationis enunciandæ acceleratio clamoſa.

Diſtributio eſt in contentione Oratio frequens cum raris & brevibus intervallis acri vociferatione.

Amplificatio dividitur in *Cohortationem*, & *Conqueſtionem*.

Cohortatio eſt Oratio, quæ aliquod peccatum amplificans, Auditorem ad iracundiam adducit.

Conqueſtio eſt Oratio, quæ incommodorum amplificatione animum Auditoris ad miſericordiam perducit.

Quoniam igitur *Mollitudo* vocis in tres partes diviſa eſt; & hæ ipſæ partes in octo alias partes diſtributæ ſunt; harum octo partium, quæ cujuſque idonea pronunciatio ſit, demonſtrandum videtur.

Sermo cum eſt in *Dignitate*, (6) plenis faucibus quàm ſedatiſsimâ & depreſsiſsimâ voce uti conveniet: ita tamen, ut ne ab Oratoria conſuetudine ad Tragicam tranſeamus.

Cum autem eſt in *Demonſtratione*, voce paululum attenuatâ, crebris intervallis, & diviſionibus, oportet uti, ut ipsâ pronunciatione eas res, quas demonſtrabimus, inſerere, atque interjicere videamur in animis Auditorum.

Cum autem Sermo in *Narratione* eſt, tum vocum varietate opus eſt; ut quo quidque pacto geſtum ſit, ita narrari videatur. Strenue quod volumus oſtendere factum, celeriuſcule dicemus: at aliud, ocioſe, retardabimus. Deinde, modo acriter, tum clementer, mœſte, hilariter in omnes partes commutabimus, ut verba, ita pronunciationem, ſi qua inciderint in Narrtione dicta, rogata, reſponſa, ſi quæ admirationis, de quibus nos narrabimus, diligenter animadvertemus, ut omnium Perſonarum ſenſus atque animos voce exprimamus.

Sin

(6) Cornific. *Lib.* 3. *cap.* 14.

Sin erit Sermo in *Jocatione*, leviter tremebunda voce cum parva ſignificatione risûs, ſine ulla ſuſpicione nimiæ cachinnationis leniter oportebit a Sermone ſerio torquere ad liberalem jocum, vocem.

Cum autem contendere oportebit, quoniam id aut per *Continuationem*, aut per *Diſtributionem*, faciendum eſt, in *Continuatione*, adaucto mediocriter ſono vocis, verbis continuandis vocem quoque adaugere oportebit; & torquere ſonum; & celeriter cum clamore verba conficere; ut vim volubilem Orationis vociferatio conſequi poſsit.

In *Diſtributione* vocem ab imis faucibus *Exclamatione* quàm clariſsimâ adhibere oportet: & quantum ſpatii per ſingulas exclamationes inſumpſerimus, tantum in ſingula intervalla ſpatii conſumere jubemur.

In *Amplificationibus* cum cohortatione utemur voce attenuatiſsimâ, clamore leni, ſono æquabili, commutationibus crebris, maximâ celeritate.

In *Conqueſtione* utemur voce depreſsâ, inclinato ſono, crebris intervallis, longis ſpaciis, magnis commutationibus. De *Figura* Vocis ſatis dictum eſt. Nunc de Corporis *Motu* dicendum videtur. (7)

Motus eſt corporis geſtus, & vultûs moderatio quædam, quæ pronuncianti convenit; & probabiliora reddit ea, quæ pronunciantur. Convenit igitur in vultu pudorem & acrimoniam eſſe; in Geſtu, nec venuſtatem conſpicuam; nec turpitudinem eſſe: ne aut hiſtriones, aut operarii videamur. Ad eaſdem igitur partes, in quas Vox eſt diſtributa, Motûs quoque Corporis ratio videtur eſſe accommodanda. Nam, ſi erit Sermo cum Dignitate, ſtantes in veſtigio, levi dexteræ motu loqui oportebit, hilaritate, triſtitia, mediocritate vultûs ad Sermonis Sententias accommodatâ.

Sin erit in *Demoſtratione* Sermo, paululum Corpus a cervicibus demittemus. Nam hoc eſt a natura datum, ut quàm proxime tum vultum, tum manum admoveamus

(7) Cornificius *Lib.* 3. *cap.* 15.

mus ad Auditores, si quam rem docere eos, & vehementer instigare velimus.

Sin erit in *Narratione* Sermo, idem Motus poterit idoneus esse, qui paulo ante demonstrabatur in *Dignitate*.

Sin in *Jocatione*, vultu quandam debebimus hilaritatem significare sine commutatione gestûs.

Si contendemus per *Continuationem*, brachio celeri, mobili vultu, acri aspectu utemur.

Sin *Contentio* fiet per *Distributionem*, celeri porrectione brachii, inambulatione, pedis dextri rara supplosione, acri, & defixo aspectu, uti oportebit.

Sin utemur *Amplificatione* per *Cohortationem*, paulo tardiore & consideratiore gestu conveniet uti, similibus cæteris rebus, atque in contentione per *Continuationem*.

Sin utemur *Amplificatione* per *Conquestionem*, fœmineo plangore, & capitis ictu, nonnunquam sedato & constanti gestu, mœsto & conturbato vultu uti oportebit.

Non sum nescius quantum susceperim negotii, qui *Motûs* Corporis exprimere verbis, & imitari scripturâ conatus sim voces; verum neque hoc confisus sum posse fieri, ut de his rebus satis commode scribi posset: nec, si id fieri non potest, hoc quod feci, fore inutile putabam, propterea quod hìc admonere voluimus, quod oporteret. Reliqua trademus *Exercitationi*. Hoc scire tamen oportet, *Pronunciationem* bonam proficere, ut res ex animo agi videatur.

Hæc sunt, Clementissime Domine, quæ tuo jussu collegi ex Aristotele, Cicerone, Quinctiliano, aliisque Artis Rhetoricæ Præceptoribus: non frustatim, sed per membra: & quæ tradidi imprimenda Arnaldo Gillelmo, Impressori: & quia subscisivis, nocturnis, & festis diebus, raptimque, fuerunt torculis subdita; non potuerunt diligentius emendari, pungi, atque dispungi. Absolutum opus VI. Kl. Martii Anno a Natali Christi M. D. XV.

IN-

INSTITUTIONES ORATORIÆ

COLLECTÆ METHODICΩS

EX INSTITUTIONIBUS PRIORIBUS

AUDOMARI TALÆI,

AUCTORE

PETRO JOANNE NUNNESIO, VALENTINO.

ACCEDUNT

EJUSDEM ANNOTATIONES:

IPSIUSMET TABULÆ RHETORICÆ:

QUÆSTIO

DE COMPONENDIS EPISTOLIS,

IN QUIBUS DE GRATIARUM ACTIONE DISPUTETUR:
& eidem vindicata ORATIUNCULA in Scholis recitari solita.

EX BIBLIOTHECA MAJANSIANA.

CUM SUPREMI SENATUS PERMISSU:

VALENTIÆ EDETANORUM,
APUD FRANCISCUM BURGUETE,
ANNO MDCC. LXXIV.

INSTITUTIONES (1) ORATORIÆ COLLECTÆ METHODICωS EX INSTITUTIONIBUS PRIORIBUS AUDOMARI TALÆI,

AUCTORE PETRO JOANNE NUNNESIO, VALENTINO, CUM EJUSDEM ANNOTATIONIBUS.

(1) *INSTITUTIONES appellantur Præcepta Definitionibus, Divisionibus, & Exemplis illustrata, sine Argumentis, quales sunt Partitiones Oratoriæ Ciceronis.*

RHETORICA.

Rhetorica (1) est Ars bene dicendi: id quod vi nominis intelligitur. *Rhetor* enim, unde *Rhetorica* nominatur, & Is, qui bene dicit, unum idemque valent.

(1) *Definitio Rhetoricæ constat genere & differentia, quæ ducitur a fine: nam* Ars *est genus Rhetoricæ commune cum Grammatica, & reliquis Artibus.* Bene dicere, *id est, ornate dicere, est finis Rhetoricæ; ut Grammaticæ, bene loqui.*

Rhetor enim. *Illustrat definitionem Rhetoricæ. Ab etymologia Rhetorica dicitur a nomine ῥήτωρης: ῥήτωρ autem significat eum, qui ornate dicit. Est igitur Rhetorica* Ars bene dicendi. *Hæc definitio ducitur ex re subjecta: nam aut ornatus expectatur ex sono orationis, & est* Concinnitas; *aut in significatione; aut in singulis partibus orationis, & vocatur* Tropus; *aut in tota oratione, & vocatur* Figura.

PARTES RHETORICÆ TRES.

Tropus, Figura, Concinnitas.

TROPUS.

Tropus fit, cùm propria verbi significatio ad alienam transfertur.

FORMÆ TROPORUM QUATUOR.

Metonymia, Ironia, Metaphora, Synecdoche. (1)

(1) *Divisio Troporum ducitur ex locis Dialecticis: nam, aut nomen* cau-

causa ponitur pro effectu; aut effectus pro causa; aut nomen rei subjectæ pro adjuncta; aut adjuncta rei pro subjecta. Quæ quatuor genera communi nomine Metonymiâ *continentur. Nomen unius dissentanei pro altero, quæ est Ironia; aut nomen rei similis pro altera simili, quæ* Metaphora *vocatur. Ex nomine nullus ducitur Tropus: ex definitione, aut ex testimoniis, quia sunt orationes compositæ, non ducitur Tropus: ex partibus tamen divisione ducuntur quatuor modi, qui continentur sub* Synecdoche. *Nam, aut nomen partis ponitur pro toto, aut totius pro parte, aut generis pro specie: atque ita quatuor sunt genera Troporum,* Metonymia, Ironia, Metaphora, & Synecdoche.

METONYMIA

Fit quatuor modis. Primo, cùm *causæ* nomen (1) transfertur ad *effectum*.

(1) Causa *dicitur, cujus vi aliquid fit, ut inventor operis, aut auctor, & opifex alicujus rei: ut Bacchus, qui primus coluit vitem, pro ipso vino.* Effectum *est, quod de causa exsistit, ut a cibo anguis venenati mors hominis, & refrigerascit. Nam mortuus homo privatur calore: quare vere dixit Virgilius* anguem frigidum, *quia refrigerat homines.* Ut Cicero pro Marcello: *Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ. Mars* pro bello. Virgilius *Æneidos* 1. *Tum Cererem corruptam undis.* Id est, fruges. Cicero *de Natura Deorum: Fruges Cererem appellamus; vinum autem, Liberum;* ex quo illud Terentii, *Sine Cerere, & Baccho friget Venus.* Secundo, cùm *effecti* nomen ad causam transfertur: ut Horatius *Libro Carminum* 1. *Ode* 4.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turreis.

Pallida, quia *pallidos* efficit. *Sic tristis senectus.* Virgilius 3 *Georgicorum*:

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus.

Tertio, cùm rei subjectæ nomen ad rem adjunctam transfertur: ut *Actione* 4. *Primum igitur in hanc rem testem totam Siciliam citabo*, id est, Siculos. Virgilius *Æneidos* 6.

——— *Illa inclyta Roma*
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Roma pro Romanis. Quarto, cùm adjunctæ rei nomen ad rem subjectam transfertur, ut Cicero *in Verrem. Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas*

om-

omnes sese hoc uno Prætore pertulisse. Luxuries pro luxurioso : *Crudelitas*, pro crudeli : *Avaritia*, pro avaro: *Superbia*, pro superbo. Terentius in Andria. *Scelus quemnam hic laudat? Scelus*, pro scelesto.

IRONIA (1)

Fit, cùm unius dissentanei nomen pro altero dissentaneo ponitur : ut ; *O bone vir*, de malo. Cicero *pro Quintio. Credamus hoc, Sextum Nævium, cujus caput oppugnet, ejus vitæ pepercisse.* Virgilius *Æneidos* 4.

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus: magnum & memorabile nomen;
Una dolo Divûm, si femina victa duorum est.

(1) *Ironia his fere vocibus tractatur: verbo* credendi : *nomine* præclarus & sane egregius, & vero; quasi vero, *&* scilicet. *Magnus autem usus est Ironia in dialogis scribendis, ut in persona Socratis, & Antonii apparet, qui fere aliud loquuntur, atque sentiunt. Valet item plurimum ad epistolas jocosas, ad facetias, & ad respondendum.*

METAPHORA

Tropus est, in quo a nomine similis rei ad rem similem fit translatio. (1) Hic Tropus tam latè patet, quàm genera naturæ : nullius enim rei certum, & proprium vocabulum est, quod non posit certa aliqua ratione in alienum locum deduci. Nam (ut a divinis rebus ordiar) Deus & Divinitas transferuntur ad Homines. Cicero *pro Sestio : P. Lentulus, cujus ego patrem, Deum ac parentem statuo fortunæ, nominisque mei.* Virgilius *Ecloga* 2.

——— *Deus nobis hæc ocia fecit.*

(1) Metaphora *plurimum valet ad orationem aperte explicandam: item ad brevitatem orationis, & ad turpitudinem vitandam, & omnino ad docendum. Ducitur autem Metaphora a Similitudine: quare quot erunt genera Similitudinis, totidem Metaphorarum erunt. Nam cognitâ causâ cujusque rei, ex qua ducitur, certe ejus rei genera notari possunt.*

Ab *igne*. (2) Cicero 3. *Tusculanarum : Natura nobis parvos igniculos dedit. Orat. 3. Sulpicius, qui in eadem invidiæ flamma fuisset.* Æneidos 4.

——— *Agnosco veteris vestigia flammæ.*

(2) *Metaphoræ, quæ ab* igne *ducuntur, valent multum in gravio-*

ri-

ribus animi perturbationibus, ut in ira, odio, invidia, & amore.

Ab *aëre.* Cicero *Tusculanarum* 3. *Tranquilla, & serena frons.* Virgilius 4 *Æneidos.*

Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.

Ab *aqua.* Cicero *Philippica* 2. *Quem gurgitem? quam voraginem? quid eum non absorbere animo, quid non haurire cogitatione, cujus sanguinem non bibere censetis?* Virgilius *Æneidos* 4.

—— *Quæ bella exhausta canebat!*

A *terra.* Cicero in Oratore: *Inusitatas vias indagare, tritas relinquere.* Virgilius *Æneidos* 5.

— *Et longæ sulcant vada salsa carinæ.*

Ab *inanimis naturis*: ut Cicero *Nubeculam frontis* dixit, illudens Pisonem. Terentius: *Hui, Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris! Pro Sexto Roscio: Domus officina nequitiæ, diversorium flagitiorum omnium.*

A *stirpibus, Philippica* 2. *Gratia non virtutis specie, sed ætatis flore collecta.* In *Tusculanis*: *Non solum ramos amputare miseriarum, sed radicum fibras evellere.*

Ab *Animalibus.* E *Lupis*, Æneidos 2.

— *Penitusque cavæ plangoribus ædes*
Femineis ululant.

E *Canibus.* Cicero *in Bruto, Latrant quidam oratores, non loquuntur.*

E *Serpentibus. Philippica* 1. *Cùm serperet in urbe infinitum malum, &c.*

Ex *Avibus. Pro Flacco; Homo volitans gloriæ cupiditate.*

E *Vulpe.* Terentius. *Quid ille gannit?* Ex *Equis.* Cicero *in Pisonem. Sic ad illius hanc orationem adhinniit, ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inventum esse arbitraretur.* Ex *Apibus. Pro Sylla. Noli aculeos orationis meæ, qui reconditi sunt, excussos arbitrari.*

A *rebus Humanis.* Virgilius *Æneidos* 4.

— *Suadentque cadentia sidera somnos.* (3)

(3) *Cavendum est diligenter, ne Metaphoræ turpes sint, ut* castratam fuisse Rem publicam morte alicujus: *ne sint majores, ut* tempestas comessationis, *de lauto convivio: aut contra, ut* comessa-

ſatio tempeſtatis, *de gravi tempeſtate. Intelliges autem, propriam eſſe Metaphoram, ſi totam ſimilitudinem per partes explicaveris; nempe per Propoſitionem, & Redditionem.*

Videndum autem in Metaphoris, ut primum ſe oſtendat Similitudo, ne a præſenti inſtituto aliena, aut longius petita videatur. Ad hunc Tropum referuntur *Catachreſis*, *Allegoria*, *Ænigma.*

Catachreſis: ut Virgilius *Æneidos* 2.

Inſtar montis equum divinâ Palladis arte
Ædificant.

Sic Cicero *pro Lege Manilia* dixit, *ædificare claſſes*, cùm ædificari proprie in ædibus dicatur. Eſt igitur Catachreſis, cùm abutimur propria verbi ſignificatione propter aliquam ſimilitudinem.

Allegoria, & *Ænigma* ſunt Metaphoræ dilatatæ Ita non mutatur genus Tropi. Ut *in Piſonem. Neque tam timidus fui, ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reipublicæ navem gubernaſſem, ſalvamque in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas, aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſsi.* Oratio *pro Cælio* multis locis habet hoc integumentum Allegoriæ, ad excuſandas adoleſcentiæ voluptates, ad eludendam querelam Clodiæ, ad notandam importunam ejuſdem mulieris libididem.

Ænigma eſt obſcura Allegoria: Cicero *pro Roſcio*: *Multos cæſos non ad Traſumenum lacum, ſed ad Servilium vidimus. Quis ibi non eſt vulneratus ferro Phrygio?*

SYNECDOCHE

Fit quatuor modis. Primo, cùm partis nomine totum appellamus, ut *Tectum* pro *domo.* Terentius in Heautontimorumeno. *Victus, veſtitus, quo in tectum te receptes.* Cicero *in Catilinam*: *Vos in veſtra tecta diſcedite*, id eſt, *domos* Virgilius *Æneidos* 1.

Interea Æneas ſocios de puppibus altis
Pontibus exponit.

Secundo, cùm *Totius* nomen ad *Partem* transfertur: ut Ci-

Cicero *de Legibus* : *Homini mortuo ne ossa legito. Homo* pro corpore. Cicero *de Amicitia* : *Sed loquar de iis*, *qui ante oculos sunt*, *quos videmus. Hominem* visum pro facie dixit. Virgilius *Æneidos* 1.

Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit.

Pontus pro fluctu.

Tertio, *Genus* pro *forma* ; ut *Poëta* pro Homero: *Orator* pro Cicerone. Cicero *pro Cluentio* : *Nubit genero socrus*, *accusat filium mater*, id est, *nubit Melino Sasia*, *eadem Cluentium accusat* Sic Græci Regem Persarum uno nomine generis Βασιλεα appellant. Quarto, *forma* pro *Genere* : ut *Homerus iste*, *Roscius iste* : quasi præstans Orator, aut Poëta. Virgilius *Georgicorum* 1.

Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

Acheloia *pocula*, pro aqua. Horatius:

—— *Tu levior cortice*, *&* *improbo*
Iracundior Adria.

Adria pro quovis mari. Huc referendi sunt duo modi, cùm *Unitas* pro multitudine ponitur, aut contra : ut apud Livium. *Romanus prælio victor*, id est, Romani. Cicero *ad Brutum* : *Populo imposuimus*, *&* *oratores visi sumus*, cùm de se tantum loquatur. (1)

(1) *Hic Tropus valet plurimum ad obscura loca Auctorum intelligenda*; *qualia sunt præsertim poëtarum*, *qui toto opere Synecdochen perpetuam declarant* : *ut in una persona Æneæ præstantem Rei publicæ Principem*; *&* *philosophorum*, *ut cum Inventionem*, *quod generale nomen est*, *pro una parte Dialecticæ usurpant.*

Atque hæc de Tropis.

FIGURA

Est orationis elocutio, qua fit, ut a populari loquendi, & sentiendi consuetudine discedamus. Hujus duo sunt genera : Figura λεξεως, & διανοίας. Differt autem figura διανοίας a figura λεξεως, quòd in illa, mutatis verbis, idem maneat ornatus ; in hac vero mutetur.

FIGURÆ λεξεως.

Figuræ Verborum aut fiunt per *Repetitionem* verbi, aut

aut propter *Mutationem*. Rursus per *Repetitionem*, aut servatis iisdem attributis Grammaticis, aut mutatis. Prioris generis sunt, *Anadiplosis*, *Epanalepsis*, *Anaphora*, *Epistrophe*, *Symploce*, *Ploce*.

ANADIPLOSIS

Est conjuncta ejusdem verbi repetitio: ut *Actione* 7. *Aspicite, aspicite (Judices) squallorem.* Item: *Crux, crux (inquam) infelici, & misero.* Virgilius *Ecloga* 5.

——— *Deus, Deus ille, Menalca.*

EPANALEPSIS

Est repetitio verbi disjuncta. (1) Cicero *Catilinaria* 1. *Vivis, & vivis, non ad deponendam*, sed ad confirmandam audaciam. *Æneidos* 5.

——— *Maria undique, & undique Cœlum.*

Actione 7. *Quid Cleomenes facere potuit? (Non enim possum quenquam insimulare falsò) quid, inquam, magnoperè potuit Cleomenes facere? Pro domo: Sed excitatus, (dicam ipso audiente quod sensi, & sentio) excitatus, inquam, aliquando Cn. Pompeji nimium diu reconditus, & penitus abstrusus dolor.*

(1) Epanalepsis *aut fit cum parenthesi, aut sine parenthesi: cum parenthesi tractatur his vocibus*, inquam, tamen, verumtamen, & igitur.

ANAPHORA, (1) RELATIO,

Est repetitio verbi in principiis incisorum, membrorum, periodorum. In incisis. Pro Quintio: *Quid hæc amentia? quid hæc festinatio? quid hæc immaturitas tanta significat? Non vim? non scelus? non latrocinium?* Catilin. 1. *Ille, ille Jupiter restitit, ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille nos omnes salvos esse voluit.* In *Vatinium*: *Quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putet.*

In *membrorum principiis*. Pro Cluentio: *Legum ministri, Magistratus; Legum interpretes, Judices: Legum denique idcirco Omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. Philippica* 2 *Accusa Senatum, accusa Equestrem ordinem, qui tum cum Senatu copulatus fuit: accusa omnes Ordines.*

In principiis periodorum. Pro Sex. Roscio: *Accusant*

ii, qui in fortunas hujus invaſerunt: cauſam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egeſtatem. Accuſant, &c.

(1) Anaphora *valet plurimum ad objurgandum, & ad Similitudinem tractandam.*

EPISTROPHE, CONVERSIO,

Eſt ejuſdem verbi in extremum illatio: ut, *Pecuniam petit. Nunc denique? verumtamen petit.* In *Vatinium: Cùm ego legem de ambitu tulerim, ex Senatus conſulto tulerim, ſine vi tulerim, ſalvis auſpiciis tulerim. Philippica 2. Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? Interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos cives? Eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta eſt? Afflixit Antonius.*

SYMPLOCE, (1) COMPLEXIO,

Repetitio verbi in principio, & fine. *Actione 7. Multi & graves dolores inventi parentibus, & propinquis multi. Æneidos 6.*

——— Ceſſas in vota preceſque,
Tros, ait, Ænea, ceſſas?

Alter modus *Complexionis*, cùm aliud verbum in principiis iteratur, aliud in extremis. Cicero *Agraria 2. Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem Populi partem ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Idem Rullus. Pro Milone: Quis eos poſtulavit? Appius? Quis produxit? Appius.*

(1) Symploce *ornat multum Poëſim. Poſterior autem modus utiliſſimus eſt ad objurgandum.*

PLOCE (1)

Eſt verborum trajectio: ut Cicero *in Bruto. Craſſus erat elegantium parciſſimus, Scævola parcorum elegantiſſimus. Pro Cluentio: Ut ſine invidia culpa plectatur, & ſine culpa invidia ponatur.* Virgilius *Ecloga* 8.

——— Crudelis tu quoque, mater;
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater.

(1) Ploce *tractantur graves ſententiæ, adagia, ænigmata, reſponſa acuta, carmina ingenioſa, & ſymbola.*

PO-

POLYPTOTON, TRADUCTIO,

Ejuſdem verbi iteratio mutatis attributis Grammaticis. *Agraria* 2. *Deducuntur coloniæ: quò? quorum hominum? in quæ loca? Pro Cælio: Ipſius autem veneni quæ ratio fingitur? ubi quæſitum eſt? quemadmodum paratum? quo pacto? cui? quo in loco traditum? Æneidos* 5.

—Quò deinde ruis, quò proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet?

Mutatio generum: *Actione* 7. *Certus locus, certa lex, certum tribunal, quò hoc reſervetur.*

Mutatio Numerorum. *Æneidos* 4.

— Eadem me ad fata vocaſſes.
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tuliſſet.

Figuræ ob Mutationem Verbi duæ.

PARONOMASIA, (1) AGNOMINATIO,

Cum fit mutatio in verbum ſimile: ut *Philippica* 3. *En cur magiſter ejus ex aratore orator factus ſit.* Pro Cluentio: *Sic in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua perniciosiſſima flamma. Actione* 3. *Ut ad audendum projectus, ſic paratus ad audiendum. De Reſponſis Aruſpicum: Non modo vincere, ſed etiam vincire oporteret.*

(1) Paronomaſia *plurimum valet ad jocos, tam eos, quibus perſonæ laceſſuntur, quàm ad eos, quibus facete de re aliqua diſputatur.*

EPANORTHOSIS, CORRECTIO,

Mutatio unius Verbi in aliud melius: (1) ut *pro Quintio: O hominem fortunatum, qui hujuſmodi nuntios, ſeu potius Pegaſos habeat! Pro Cælio: Niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratrem volui dicere, ſemper hìc erro. Pro Ligario: Ceſſit auctoritati ampliſſimi viri, vel potius paruit.* Fit aliquando *Correctio* non ſubjecto alio verbo: ut *pro Muræna: Atque hæc cives, cives, inquam, (ſi hoc nomine eos appellare fas eſt) de patria ſua cogitant.*

(1) *Magnus eſt* Correctionis *uſus in irriſione, & in modeſtia animi declaranda.*

Hactenus de Figuris Verborum. (2)

(2) *Figuræ Verborum valent plurimum in humili dicendi genere, quale Bucolicum est; & in jocoso, & in amatorio.* Anadiplosis *autem, &* Epanalepsis *adhibentur elegantissime ad libertatem animi exprimendam, & vehementem perturbationis contentionem.*

FIGURÆ Διανοίας QUATUOR.

Aut versantur in *Petitione*, aut in *Fictione*, aut in *Permissione*, aut in *Negatione*.

Quæ positæ sunt in *Petitione*, aut habent *responsionem*, aut *responsione* carent. Posterioris generis formæ quatuor sunt, *Addubitatio*, *Optatio*, *Exclamatio*, *Apostrophe*.

Διαπόρησις, ADDUBITATIO, (1)

Est affectus solliciti hominis, & in consilii perturbatione hæsitantis. *Pro Sexto Roscio*: *Quid primùm querar? aut unde potissimum, Judices, ordiar? aut quod? aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? Populine Romani? Vestramne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Actione* 7. *Quid agam, Judices? quò accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam? Ad omnes enim impetus quasi murus quidem boni nomen imperatoris opponitur.* Virgilius *Æneidos* 4.

En quid agam? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrûm
Jussa sequar?

(1) Dubitatio *multum valet in* Exordiis, *& ut animi modestia significetur, & ut auctoritate apud alios valeamus.* Nam *qui de rebus dubitant, quia diligentes videntur esse, magnam habent auctoritatem.*

OPTATIO (1)

Est voti significatio: ut *pro lege Manilia. Utinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, ut hæc deliberatio vobis difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus, ac tanto bello, præficiendum putaretis.* Virgilius *Ecloga* 8.

——— *En erit unquam*

Ille

Ile dies mihi, cùm liceat tua dicere facta?
En erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocl[e]o tua carmina digna cothurno?

Pro Muræna: Dii faxint, ut meus collega vir fortissimus hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus opprimat. Philippica 2. Utinam aliquando dolor Populi Romani pariat, quod jam diu parturit.

(1) Optatio *valet multum in* Exordiis, *& ad favorem animi, atque gratiam significandam, & ad docendam singularem alicujus hominis laudem.*

EXCLAMATIO

Est Orationis vehementior elatio: (1) quæ sæpe utitur particulis, *o*, *pro*, *heu*, *eheu*, variasque animorum commutationes declarat. *Pro Quintio*: *O rem incredibilem! ô cupiditatem inconsideratam!* *Pro Milone*: *O frustra suscepti mei labores! ô spes fallaces! ô cogitationes inanes meæ!* Æneidos 4.

Heu vatum ignaræ mentes!

Adhibetur hæc virtus ad illudendum: ut *Pro Balbo. O præclarum interpretem juris, auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostræ civitatis! Philippica 3. O præclarum custodem ovium (ut ajunt) lupum!* Habet interim admirationem: *Pro Ligario. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentisque decorandam!* Admittit commiserationem. *Actione 7. O spectaculum miserum atque acerbum! ô magnum atque intolerandum dolorem!* In *Ecloga!*

— En quò discordia cives
Perduxit miseros! en queis consevimus agros!

In Pisonem. O scelus, ô pestis, ô labes! Ibidem. *O tenebræ, ô lutum, ô sordes!* Sub hoc genere continentur *Acclamationes*, quæ in extremis clausulis elegantissime adhibentur. *Æneidos* 1.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Æneidos 4.

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

(1) *Exclamatione exprimuntur omnes animi affectus, ut admiratio, irri-*

irrisio, commiseratio: habet autem locum potissimum in extrema disputatione, & tunc vocatur Exclamatio. *Punctulus cum virgula directa est nota Exclamationis.*

APOSTROPHE, AVERSIO, (1)

Est mutatio sermonis a recto, & naturali cursu ad aliud quidpiam. Ad Deum. *Actione 7. Nunc te, Jupiter Optime Maxime.*

Ad Hominem. *Pro domo sua. O Quinte Catule, patremne appellem? an filium? Negabas fas esse duos Consules esse in hac civitate inimicos Reipublicæ.*

Ad incertam Personam. Virgilius *Æneidos* 4.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos.

Ad Seipsum: ut illud Didonis *Æneidos* 4.

Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.

Ad res inanimes. *Ecloga* 5.

— Vos, Coryli, testes, & flumina Nymphis.

Apostrophe si fiat cum consultatione quadam, *Communicatio* nominatur. *Pro Quintio: Quæro abs te, C. Aquilli, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle, vadimonium mihi non obiit quidam socius, & affinis meus, non multum me fallit, si consulamini quid sitis responsuri. Pro Cæcinna: Te uti in hac re magistro volo: quæro sitne aliqua hujus rei actio, an nulla? Pro Rabirio Perduellione: Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? cùm ignaviæ ratio te in fugam, & latebras impelleret: improbitas & furor L. Saturnini in forum arcesseret: Coss. ad patriæ salutem ac libertatem vocarent; quam tandem auctoritatem, aut quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parêre potissimum velles?*

Quod si *Apostrophe* fiat cum precibus, *Deprecatio* nominatur. *Pro Rabirio Perduellione: Ab Jove Optimo Maximo, cæterisque Diis immortalibus pacem ac veniam peto. Pro domo sua: Quocirca te, Capitoline, quem propter beneficia Populus Romanus Optimum, propter vim, Maximum nominavit, teque, Juno Regina, & te custos urbis, Minerva, precor & quæso.* Virgilius *Æneidos* 1.

Mu-

Musa, mihi causas memora.

Implorandum igitur Numen divinum in rebus magnis. Homines autem deprecamur, cùm auxilium, aut veniam, aut aliquid aliud petimus, aut alios commendamus. *Pro Quintio*: *Te, C. Aquilli, vosque, qui adestis in judicio, orat atque obsecrat.* Deprecamur res alias: ut Cicero Philosophiam, Tusculanarum 5. *Ad te confugimus, a te auxilium petimus: tibi nos (ut antea) magna ex parte, sic nunc penitus, totosque dedimus. Pro Milone: Vos, enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor, vosque Albanorum obrutæ aræ sacrorum, Populi Romani sociæ & æquales.* Virgilius *Georgicorum* 1.

— Vos, ô clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

(1) Apostrophæ *subjecta sunt tres formæ*, Communicatio, Deprecatio, & Hypotiposis: *hæc autem extrema fit, cùm alienam personam ad nostram transferimus, communicantes nobiscum vitia aliena, ut liberius vitia aliorum reprehendamus. Sic Demosthenes* Olympiaca prima *loquitur reprehendens ignaviam Atheniensium*: Nos omnem occasionem passi sumus nobis eripi. *Omnis autem* Apostrophe *in Exordiis multum valet, & cum* Prosopopœia *conjungitur.*

FIGURÆ Διανοίας, quæ Responsionem habent, duæ,

PROLEPSIS, (1) OCCUPATIO,

Est alicujus petitionis responsio, & anteoccupatio: eaque duplex: *Objectionis*, & *Depulsionis*. Prioris generis exempla sunt *in Oratione pro Quintio*, ubi objectiones Hortensii præsumuntur, & ratione dissolvuntur. Spectatur hoc ornamentum plerunque in Prooemiis. Cicero *pro Sexto Roscio*: *Credo ego vos, Judices, mirari, quid sit, quòd cùm tot summi Oratores, hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim: qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum iis, qui sedeant, comparandus. In Divinatione: Si quis vestrûm, Judices, aut eorum qui adsunt, forte miretur*, &c. *Pro Cælio*: *Si quis fortè nunc adsit ignarus legum, judiciorum, consuetudinis nostræ*, &c. Ovidius 13. *Metamorphoseon*:

Huic modo ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur.

Pro-

Profuit ingenium: meaque hæc facundia (si qua est)
Quæ nunc pro domino, pro vobis sæpe locuta est,
Invidiâ careat: bona nec sua quisque recuset.

Ulysses orditur ab occupatione eloquentiæ, quam adversarius in armorum contentione vocavit in invidiam. Fit etiam in aliis partibus orationis. *Pro lege Manilia: Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, (cùm hæc ita sint) reliquum possit esse magnum bellum.* Pro *Cælio: Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? Sic tu instituis adolescentes?*

Secundum genus, quod præcurrit Depulsiones, multum habet cùm roboris, tum gratiæ, quo Cicero passim est usus in Actionibus; occupavit enim quod Hortensius respondere posset pro Verre; idque vehementer infirmavit. Ut *Actione 7. Novi locum: video ubi se jactaturus sit Hortensius. Belli pericula, tempora Reipublicæ, Imperatorum penuriam, commemorabit; tum deprecabitur a vobis, tum etiam pro jure suo contendet, ne patiamini talem Imperatorem Populo Romano siculorum testimoniis eripi.*

(1) Prolepsis *constat ex duabus partibus*, Ex Propositione, *&* Solutione: *quarum illa*, Propositio, *exprimitur fere his vocibus*: etsi, quanquam: *posterior autem his vocibus*, tamen, veruntamen, *& si quæ sunt his pares. Usus autem Prolepseos in quavis disputatione cernitur.*

ANTIPOPHORA, SUBJECTIO. (1)

Est prompta & expedita redditio ad id quod proponitur. Cujus tres sunt modi; aut enim in alteram tantum partem, aut in utranque, aut in neutram cadit Interrogatio. In alteram tantum. *Pro Lege Manilia: Quid est tam novum, quàm adolescentulum privatum difficili Reipublicæ tempore exercitum conficere? confecit. huic præesse? præfuit. rem optime ductu suo gerere? gessit. Pro* Ligario: *Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cùm hoc sciret, tamen antequam me vidit, Reipublicæ reddidit.*

In utramque: Pro Quintio. *Mittis injussu Prætoris. quo consilio? jussurum sciebas? quid? cùm jussisset, tum mittere non poteras?* In neutram: Cicero *in Paradoxis: Vocat,*

ve-

veniendum : poſcit , dandum : ejicit , abeundum : minatur, extimeſcendum. Actione 3. Pater dat filiæ ; probibes : leges ſinunt ; tamen te interponis.

(1) *Duæ ſunt partes* Subjectionis , Propoſitio , *&* Redditio : *quæ Figura valet plurimum ad orationem amplificandam.*

PROSOPOPOEIA, (1) QUÆ IN FICTIONE verſatur,

Eſt ficta Perſonarum inductio , per quam res cujuſcunque generis ſint , vocem & ſermonem poſſunt accipere. Hæc, vel Plena eſt , vel quodammodo Muta. Plena, cùm tota Fictio Perſonæ repræſentatur ; Muta , cùm obliquæ locutiones inducuntur. Plenæ Proſopopœiæ duo ſunt genera: unum,*Continens*, alterum, *Conciſum.Continens* conſtat perpetua , & non interrupta ſermonis continuatione. Cicero *pro Sex. Roſcio. Patrem meum cùm proſcriptus non eſſet , jugulaſtis ; occiſum , in numerum proſcriptorum retuliſtis ; me domo mea per vim expuliſtis.* Hujuſmodi ſunt Fictiones in *Divinatione* : una Siciliæ , ut , *Sicilia tota , ſi una voce loqueretur , hoc diceret. Quod auri , quod argenti , quod ornamentorum in meis urbibus , ſedibus , delubris fuit ; quod in unaquaque re beneficio Senatûs , Populique Romani juris habui ; id tu mihi , C. Verres , eripuiſti , atque abſtuliſti.* Altera Siculorum. *Si tibi , Q. Cæcili , hoc Siculi dicerent : Te non novimus , neſcimus qui ſis , nunquam te antea vidimus.* Virgilius *Æneidos* 4.

— Dixitque noviſsima verba:
Dulces , exuviæ dum fata , Deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam , meque his exſolvite curis.
Vixi , & quem dederat curſum fortuna , peregi:
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Urbem præclaram ſtatui : mea mœnia vidi.

Hæc eadem conformatio interdum cogitationes alienas ſubjicit : ut Cicero *in Verrem , Actione 7. Occurrebat hæc ratio : Quid Cleomene fiet? Poterone animadvertere in eos, quos dicto audientes eſſe juſsi : miſſum facere eum , cui imperium , poteſtatemque permiſi ?*

Proſopopœia conciſa eſt Dialogiſmus : eſtque vel totius

tius orationis, ut Comoediæ, Tragoediæ, Disputationes Platonis, & Ciceronis. *Pro Sylla. Cur dixisti testimonium in alios? Quia coactus sum. Cur damnati sunt? Quia creditum est. Actione 7. Cleomenem nominare non licet; at causa cogit. Moriere, si appellaris; at remiges non erant. Prætorem tu accusas? frange cervicem.* Obliqua locutio est apud Ciceronem in *Divinatione. Dicebam eos habere Q. Cæcilium, qui præsertim Quæstor in eàdem provincia post me fuisset.* Apud Livium, Lib. 1. *Urbes & cætera ex infimo nasci: deinde, quæ sua virtus, ac Dii jubent, magnas sibi opes, magnum sibi nomen facere.* Apud Cæsarem in *Commentariis* hoc genus est usitatissimum: ut *Libro* 1. Oratio Legatorum Helvetiorum, qui dicerent, *Sibi esse in animo sine ullo maleficio iter per provinciam facere, propterea quod iter haberent nullum aliud; rogare ut ejus voluntate id sibi facere liceat.*

(1) *Hæc Figura, etsi in tota Oratione multum valet ad vehementes animi perturbationes excitandas; tamen in Epilogis plus habet ornamenti, quàm reliquæ Figuræ. Ut si quis in malos imitatores M. Tullii invehatur; poterit extrema oratione Ciceronem ab inferis excitare, qui cum his expostulet de inepta interpretandi ratione.*

FIGURÆ CONCESSIONIS TRES.

Concessio, (1) Licentia, Sustentatio.

CONCESSIO.

Hujus elegans est usus, cùm id quod conceditur, stat a nobis, & adversæ parti nocet. *Pro Quintio. Verum id tibi concedo, ut ea prætereas, quæ cùm taces, nulla esse concedis. Actione 7. Sit sacrilegus, sit fur, sit flagitiorum omnium, vitiorumque Princeps: at est bonus Imperator. Æneidos* 4.

Esto, ægram nulli quondam flexère mariti.

At quemadmodum *Concessio* in objectionis approbatione, ita huic finitima *Permissio* in facti reique alicujus condonatione eleganter usurpatur. Cicero *Agraria* 1. *Si quid est, quod indagaris (quanquam iniquum est) tamen consume sanè. De Provincia Consulari. Lateant libidines ejus illæ tenebricosæ, quas fronte & supercilio, non pudore,*

re, & temperantia contegebat. In Vatinium. Licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris; habeat hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate, & sordibus tuis obtegatur. Apparet nonnunquam in hoc genere apertior *Ironia. Pro Flacco: Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, revocemus ejectos: nimiæ pietatis, & summi amoris in patriam vicissim nos pœnas, (si Diis placet) suferamus.*

(1) *Usu* Concessionis *omnis Quæstio qualitatis, & translationis constat.* Concessione *facti, ut cùm concedit* Cicero, *occissum fuisse Clodium a Milone*; defendam jure factum fuisse. *Valet etiam plurimum ad gravem reprehensionem, & ad securitatem adversarii comparandam.*

Γαῤῥησία, LICENTIA, (1)

Est Orationis libertas, atque fiducia, liberius affectum mentis exprimens. Cicero *Agraria* 1. *Iis ego rebus, P. C. resistam vehementer atque acriter: neque patiar homines ea me Consule expromere, quæ contra Rempublicam cogitarint. Agraria 2. Ego autem non solum hoc loco dicam, ubi est dictu facillimum; sed in ipso Senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum Consulem. Pro Sylla: Adeste omnes animis, qui adestis corporibus: erigite mentes, auresque vestras, & me de invidiosis rebus (ut ille putat) dicentem attendite. Ego Consul cùm exercitus civium clandestino scelere conflatus, crudelissimum & luctuosissimum exitium Patriæ comparasset; incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu Rempublicam liberavi. Pro Domo sua. Quare disrumpatur licet ista furia: atque audiat hæc ex me, quoniam lacessivit: bis servavi, ut Consul togatus armatos vicerim: privatus Consulibus armatis cesserim. Pro Ligario: Quantum potero contendam, ut hoc Populus Romanus exaudiat.* &c. Excitat Licentia tragœdias in objurgationibus. Virgilius *Æneidos* 1.

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam cœlum, terramque meo sine numine, Venti,

 Mis-

Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego? Sed motos præſtat componere fluctus.
Maturate fugam.

(1) Licentia *utilis eſt ad veritatem exprimendam, & animi perturbationem.*

SUSTENTATIO (1)

Suſpendit animos, ut aliquid objiciat inopinatum. *Actione 7. Quid cenſetis? Furtum fortaſſe, aut prædam exſpectatis aliquam? Nolite uſquequaque quidem quærere.* Et Paulo poſt ait. *Exſpectate facinus quàm vultis improbum: vincam tamen exſpectationem omnium: nomine ſceleris, conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traditi, ad palum alligati, repente multis millibus hominum inſpectantibus ſoluti ſunt.* Martialis, *Libro 6.*

Quòd convivaris ſine me tam ſæpe, Luperce,
Inveni noceam qua ratione tibi.
Iraſcar, licet uſque voces, mitaſque, rogeſque.
Quid facies? inquis. quid faciam? veniam.

(1) Suſtentatio *valet multum ad irridendum.*

FIGURÆ NEGATIONIS DUÆ.

Præteritio, (1) & Correctio.

PRÆTERITIO, παραλειψις,

Quaſi per tranſennam indicat, quod ſimulat ſe præterire, & nolle dicere. In *Divinatione. Nihil dico de meo ingenio, neque eſt, quod poſſim dicere, neque, ſi eſſet, dicerem.* Item. *Neque ea dico, quæ, ſi dicam, infirmare non poſſis, te antequam de Sicilia diſceſſeris, in gratiam rediiſſe cum Verre. Æneidos 6.*

—Quid Theſea magnum?
Quid memorem Alciden?

Pro Cluentio. Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio filiam. In Piſonem. Atque hæc dicere vix audeo: vereor enim ne quis ſit, qui iſtius inſignem nequitiam frontis integumentis involutam cernat. Item. *Nondum*

dum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces sociorum, non cædem hospitum, non perfidiam, non immanitatem, non scelera prædico. Virgilius *Æneidos* 1.

Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum Regem, ventosque furentes?
Æolia excitos, aut actam nubibus Irim?

Pro lege Manilia. Non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi, militiæ, terra, marique, quanta felicitate gesserit.

(1) Præteritio *multum valet ad methodum prudentiæ, quæ fit, cùm simulamus nos nolle aliquem docere; docemus tamen. Item ad brevitatem Orationis, ad honestè prædicandum aliquid de se ipso, & ad amplificanda vitia, & ad turpitudinem vitandam,*

CORRECTIO, (1) Επανόρθωσις.

Est sententiæ emendatio. Cicero *Pro Milone. Sed stulti sumus qui Drusum, qui Africanum, qui Pompeium, qui nosmetipsos cum Clodio conferre audeamus. Pro Deiotaro. Vide quid intersit, etsi inique Castorem cum Domitio comparo.* De Officiis 2. *Italiam ornare, quàm domum suam maluit: quanquam Italia ornatâ, domus ipsa mihi videtur ornatior.*

(1) *Hæc Figura valet ad sententiam imitandam, & ad exprimendam animi moderationem.*

Atque hæc de Figuris Sententiarum.

DE CONCINNITATE. (1)

Concinnitas est oratio modulate composita, suavitatis aurium causâ. (2)

(1) *Quia ratio Quantitatis, & Accentûs mutat significationem vocum, ad Grammaticos referenda est. At vero, quia mutatis pedibus, & carminibus, eadem sententia conservari potest; non ad Grammaticos, sed ad Rhetoras referenda est hæc disputatio.*

(2) Concinnitas *definitur a fine. Concinnitatis autem ratio potissimùm spectatur in sono literarum. Utque literæ eodem instrumento oris proferuntur, inter se conjunguntur, ut M, & P. Qua autem parte oris Consonantes exprimantur, sic intelliges. Si pronuncies singulas Conso-*

so-

ſonantes poſt Vocales, & obſerves, qua parte oris labores: ſic intelliges G palato pronuntiandum eſſe.

Hujus duæ ſunt partes, *Natura*, & *Ars.* Natura eſt poſita in aurium judicio. Hinc illæ obſervationes exiſtunt: Vitandum eſſe Vocalium hiatum, earum præſertim quæ junctæ faciunt Diphtongos: fugiendum concurſum aſperum Conſonantium: ut X, & S; X, & R; L, & R: M ante B, P, M, F, optime ſonare; N vero ante eaſdem male: vitandas ex Vocalibus I, & U: frequentes, ex Conſonantibus vero S, & R: contra adhibendas A, E, O, ex Vocalibus; ex Conſonantibus vero L, & M: in duobus verbis idem ſignificantibus ſonantius eſſe eligendum: fugienda eſſe cacophata: in Vocalibus plus juſto longioribus utendum Syncope: ut *ſeſtertiûm*, & *nummûm*, pro *ſeſtertiorum*, & *nummorum*: *amaſti*, *amaſſem*, pro *amaviſti*, *amaviſſem.* In Periodis magnam ineſſe Concinnitatem, ſi paria membra, aut ſimiliter deſinentia, aut ſimiliter cadentia, aut antitheta reddantur, ut *Actione* 4. *Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus Prætoris adventum cum illius Imperatoris victoria, hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto, hujus libidines cum illius continentia. Ab illo qui cepit, conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.*

DE ARTE CONCINNITATIS.

Ars certo numero Pedum comprehenditur. Dividitur autem in *Carmen*, & *Numerum Oratorium.* Utrumque genus ex *Pedibus* conſtat. *Pes* eſt dimenſio quantitatis, in duabus minimùm ſyllabis. *Pedum* alii diſſyllabi; alii, triſſyllabi.

Diſſyllabi quatuor	Pyrrhichius	ᴗ ᴗ	*Puer.*
	Spondæus	— —	*Gentes.*
	Choræus	— ᴗ	*Hora.*
	Iambus	ᴗ —	*Senex.*

Triſ-

Trissyllabi octo	Tribrachus ᴗ ᴗ ᴗ *Legere,*
	Molossus — — — *Romanos.*
	Dactylus — ᴗ ᴗ *Tempora.*
	Anapæstus ᴗ ᴗ — *Patior.*
	Creticus — ᴗ — *Judices.*
	Amphibrachus ᴗ - ᴗ *Serenus.*
	Bacchius ᴗ — — *Renascens.*
	Palimbacchius — — ᴗ *Celare.*

DE CARMINE.

Carminum infinita genera possunt excogitari; hæc tamen sunt usus quotidiani. Hexametrum Heroicum, Elegum Pentametrum, Asclepiadæum, Sapphicum cum Adonio, Phalæcium.

Hexametrum Heroicum constat sex Pedibus, quorum quatuor sunt dactyli, aut spondæi; quintus, dactylus; sextus, spondæus: ut,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Elegum Pentametrum constat quinque pedibus, quorum duo primi sunt spondæi, aut dactyli, & cæsura: reliqui sunt duo dactyli cum syllaba: ut,

Res est solliciti plena timoris amor.

Asclepiadæum constat spondæo, duobus choriambis, & pyrrhichio: ut,

Gens humana ruit per vetitum nefas.

Sapphicum constat choræo, spondæo, dactylo, & duobus choræis: *Adonium* vero ex dactylo, & spondæo: ut,

Integer vitæ scelerisque purus.
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravidâ sagittis,
Fusce, pharetra.

Phalæcium constat spondæo, dactylo, & dichoræo: ut,

Passer mortuus est meæ puellæ.

DE NUMERO ORATORIO.

Est qui certa Pedum mensurâ non continetur. In hoc ista sunt observanda. Habenda est ratio extremæ Orationis, quod ea pars magis percipiatur ab animis auditorum.

rum Numerus syllabarum observetur, nec minor tribus syllabis, neque supra sex syllabas. *Pedes* qui optime cadunt, sunt qui sequuntur, *Dichoræus* antecedente *Cretico*: ut *Patris sapiens dictum filii temeritas comprobavit. Dochimus*, Is est ex brevi, duabus longis, brevi & longa: ut, *Eos non Martis vis perculit, non ira victoriæ.* Hunc ut teneat Cicero, quandoque conjunctionem adhibet; sæpè etiam verbum quatuor syllabarum, quo a Vocali incipiat, verbo tertiæ personæ singularis antecedente, dicit: ut, *constat oratio. In quadrum numerumque sententias. Tribrachus*, & *Choræus*, antecedente tamen semper syllaba longa: ut, *esse videatur.* Qua clausula Cicero vehementer delectatur. *Choræus*, & *Molossus*: ut, *Fateor me salutis omnium causa ad eam partem accessisse sublevandam, quæ maximè laboraret. Cretici* duo, aut Creticus, & dactylus, nam ultima syllaba non est certæ quantitatis: ut, *Hic magistratus a Populo summa ambitione contenditur.* Aptius oratio cadit in longas syllabas, quàm in breves. Medius orationis cursus temperandus est ex syllabis longis & brevibus, ita ut oratio nec longarum multitudine torpeat, neque brevium syllabarum copiâ resultet. Fugiendus est in oratione soluta Versus; quò notior, eò magis vitandus: ut finis Hexametri Heroici, quem etsi Cicero aliquando tenet; non in una voce, sed in duabus sequitur: ut, *efficit arma.* Cavendum diligenter est, ne idem Pes sæpè repetatur. Atque hæc de Concinnitate.

RATIO COLLOCANDÆ ORATIONIS,
ex Dionysio Halicarnasseo.

Orationis bene compositæ causa est apta vocabulorum junctura: quæ tribus rebus diligenter servatis efficitur, apta nominum collocatione, membrorum, incisorumque eleganti junctura, formis & tanquam luminibus Orationis. Duo priora tribus rebus diligenter custoditis efficiuntur: *συναρμογῇ*, *σχηματισμῷ*, & *κατασκευῇ*. 1. Junctura, 2. Compositione, 3. Constructione. *Συναρμογῆς*

(Jun-

(Juncturæ) munus est videre quod verbum cum quo verbo junctum pulchre, suaviterque strui ac copulari queat: quod ex aspero aut molli concursu litterarum cognoscitur. Item videre quod incisum cum quo inciso, & quod membrum cum quo membro suaviter cohæreat, quod fit acerrimo aurium judicio, & diligenti Numerorum observatione.

σχηματισμȣ (Compositionis) proprium munus est, cùm συναρμογῆς proba non fuerit, varie orationem commutare. Mutatio singularum vocum fit cùm mutantur attributa Grammatica, aut nomina propria transferuntur in tropica Immutantur autem incisa & membra, mutatis modis verborum, & oratione variè commutata per Figuras Verborum, & Sententiarum.

Κατασκευῆς (Constructionis) munus est, si quid variè mutatum non bene cohærere cum alio potest; abscindere inde, removereque, quod obstat, aut adjungere quod ad idem efficiendum valeat; aut ordinem immutare, atque ita ipsum ejusmodi efficere, ut apte alii applicetur, & firme considat oratio. His præceptis diligenter servatis, suaviter Oratio componetur.

ΤΕΛΟΣ.

INDEX INSTITUTIONUM ORATORIARUM.

A

Addubitatio, pag. 12.
Ænigma, 7.
Agnominatio, 11.
Allegoria, 7.
Amphibracus Pes, 23.
Anadiplosis, 9.
Anapæstus Pes, 23.
Anaphora, 9.
Antipophore, 16.
Apostrophe, 14.
Asclepiadæum Carmen, 23.
Aversio, 14.

B

Bacchius Pes, 23.

C

Carmen, 23.
Catacresis, 7.
Choræus Pes, 22.
Collocandæ Orationis Ratio, 24.
Complexio, 10.
Concessio, 18.
Correctio, 11. 20.
Concinnitas, 21. *Ejus Ars*, 22.
Conversio, 10.
Creticus Pes, 23.

D

Dactylus Pes, 23.
Διαπόρησις, 12.

E

Elegum Pentametrum, 23.
Epanalepsis, 9.
Epanorthosis, 11. 20.
Epistrophe, 10.
Exclamatio, 13.

F

Figura, 8.
Figuræ Concessionis, 18.
Figuræ Negationis, 20.
Figuræ Verborum, 8.
Figuræ Διανοίας, 12.

H

Hexametrum Carmen, 23.

I

Iambus Pes, 22.
Ironia, 5.

L

Licentia 19.

M

Metaphora, 4.
Metonymia, 4.
Molossus Pes, 23.

N

Numerus Oratorius, 23.

O

Occupatio, 15.
Orationis Collocandæ Ratio, 24.
Optatio, 12.

P

Palimbacchius Pes, 23.
Paralepsis, 20.
Paronomasia, 11.
Parrhesia, 19.
Pes, 22. *Ejus Differentia*, 22.
Phalæcium Carmen, 23.
Ploce, 10.
Polyptoton, 11.
Præteritio, 20.
Prolepsis, 15.
Prosopopeia, 17.
Pyrrhichius Pes, 22.

R

Rhetorica, 3. *Rhetoricæ Partes*, 3.
Relatio, 9.

S

Saphicum Carmen, 23.
Spondæus Pes, 22.
Subjectio, 16. *Ejus partes*, 17.
Sustentatio, 20.
Symploce, 10.
Synecdoche, 7.

T

Traductio, 11.
Tribrachus Pes, 23.
Tropus, 3.
Troporum formæ, 3.

QUÆ-

QUÆSTIO DE COMPONENDIS EPISTOLIS, in quibus de Gratiarum Actione disputetur.

IN Actione Gratiarum Quæstio est, *Ago tibi gratias propter beneficium acceptum.* Constat autem Gratiarum Actio tribus fere partibus. Prima, qua confitemur acceptum beneficium, & laudamus. Secunda, qua laudamus eum, qui contulit beneficium. Tertia, qua nos aliquid pollicemur, præsertim gratam memoriam. Confessio beneficii accepti, & commendatio, ex omnibus locis duci potest: præcipuè tamen ex comparatione minorum, aut dissimilium, qua doceas, beneficium acceptum majus, & liberalius esse reliquis beneficiis, & quid inter illa, atque hoc præsens beneficium intersit. Amplificabis autem comparationem ex omnibus fere Locis: ut a *Fine*, hoc beneficium majus esse, quia non est collatum quæstûs causa. A *Causa absoluta*, quia collatum sine aliis præsidiis. A *Causa efficienti spontanea*, quia sponte collatum est. Ab *Effectis*, quia delectatio ex beneficiis consecuta.

Laudatur autem Persona, quæ contulit beneficium, ex omnibus Locis: sed potissimum ex his, qui ad beneficia conferenda aliquid valent. Sunt autem hæc, *Finis*, *Causa Absoluta*, & *Adjuvans*, & *Efficiens Spontanea.* Nam beneficium, quod necessario confertur, beneficium nominari non potest. Effecta Hominis Voluntatem declarant. Adjuncta item, quæ insunt, & circumstant. Comparatione aliorum, qui contulerunt beneficia, augetur mirum in modum laus Personæ. Aliorum item testimonia Personam commendant, quæ contulit beneficium.

In tertia autem parte demonstrabis, Te, quanquam aliquid polliceri velis, nihil tamen posse; quod majus sit beneficium, quàm quod possit pensari: atque ita comparatione quadam extenuabis tuam potestatem ex quibuscunque Locis. Voluntatem tamen declarabis, & be-

neficii accepti magnitudinem; ut ex hac comparatione, grata memoria illius nominis declaretur.

Secunda & tertia pars multis Tropis illustrari poteſt, atque prima etiam; ſed non cùm confiteris beneficium acceptum, niſi cùm amplificas beneficii magnitudinem.

Figuræ Verborum frequentes conceduntur in toto hoc Genere: ex Figuris autem Sententiarum, præter Præteritionem (quæ plena eſt urbanitatis, & laudis) nulla alia fere invenitur, niſi fortaſſe *Apoſtrophe*, & *Correctio*, quæ aliquam urbanitatem præ ſe ferre videatur.

Concinnitas tandem magnifica, & ſplendida adhibenda eſt, quæ verbis ſonantibus, & oratione numeroſa, gratum animum declarare videatur.

TABULÆ INSTITUTIONUM RHETORICARUM

PETRI JOANNIS NUNNESII, VALENTINI.

GALENUS IN ARTE PARVA.

METHODUS DIVIDENDI QUANTO inferior est eâ quæ fit per Resolutionem, dignitate, & methodo; tanto superiorem illam comperiemus ad compendium totius, & memoriam singulorum.

BARCINONE:
Excudebat Jacobus Sendrat, Anno Domini 1578.

VALENTIÆ EDETANORUM,
APUD FRANCISCUM BURGUETE,
ANNO MDCC. LXXIV.

TABULÆ
INSTUTIONUM RHETORICARUM
PETRI JOANNIS NUNNESII, VALENTINI.

Rhetorica 5.

- *Progymnasmata.*
  - *Per se conficere ea.*
  - *In Orationibus ea intexere.*
- *Status.*
  - *Capita præcipua cujusque Orationis.*
  - *Eorum Ordo.*
- *Inventio.*
  - *Partes Orationis invenire.*
  - *Eas dilatare.*
  - *Partes Orationis.*
    - *Exordium.*
    - *Narratio.*
    - *Confirmatio.*
    - *Peroratio.*
- *Elocutio.*
  - *Figuræ Orationis.*
  - *Ideæ.*
- *Methodus Prudentiæ docet ut prudenter singula adhibeat Orator.*

- *Progymnasmata.* 3.
  - *Similia Partib. Orationis.*
    - *Exordio*, *Fabula.*
    - *Narrationi*, *Narratiuncula.*
    - *Confirmationi*,
      - *Chria.*
      - *Sententia.*
      - *Refatiuncula.*
      - *Confirmatiuncula.*
    - *Epilogo*, *Locus Communis.*
  - *Similia toti Orationi.*
    - *Laus.*
    - *Vituperatio.*
    - *Comparatio.*
  - *Neutri similia.*
    - *Ethopœia.*
    - *Descriptio.*
    - *Thesis.*
    - *Legislatio.*

- *Fabula.* 2.
  - *Norratiuncula ficta.*
  - *Admonitio.*
  - *Cui Exordiũ respondet.*
    - *Propositione.*
    - *Redditione.*

- *Narratiuncula.* 2.
  - *Quod narratur præcipue:*
    - *Factum.*
    - *Dictum.*
  - *Circunstantiæ quib. dilatatur.*
    - *Personæ.*
    - *Caussæ.*
    - *Locus.*
    - *Tempus.*
    - *Modus.*

Chriæ & Sententiæ. 8.

- Exordium brevi laudans eum, qui dixit, aut fecit.
- Narratiuncula brevi dilatata facti, aut dicti.
- Approbatio facti, aut dicti, cum ratione.
- Contrarium Rationis.
- Simile.
- Exemplum.
- Testimonium.
- Epilogus brevi iterum laudans Auctorem facti, aut dicti.

Refutatiuncula) (Confirmatiuncula. 4.

- Exordium Vituperans Auctorem Narratiunculæ) (Laudans.
- Narratiuncula tota) (Membratim proposita.
- Capita quibus disputantur. 8.
  - Obscurum) (Manifestum.
  - Improbabile) (Probabile.
  - Quod fieri non potest) (Quod fieri potest.
  - Contrarium) (Consentaneum.
  - Indecorum) (Decorum.
  - Inutile) (Utile.
- Epilogus exagitans Auctorem Narratiunculæ) (Approbans.

Locus Communis. 8.

- Exordium de supplicio quod debetur viro scelerato.
- Contrarium ejus criminis quod insectamur.
- Expositio criminis per Amplificationem.
- Comparatio cum aliis criminibus.
- Consilium scelerati viri.
- Digressio in ante actam ejus vitam.
- Remotio Misericordiæ.
- Epilogus ex capitibus quæ pertinent ad Finem, quæ sunt. 6.
  - Legitimum.
  - Æquum.
  - Utile.
  - Quod fieri potest.
  - Gloriosum.
  - Eventus.

Ex contrariis Locis fiet pro viro forti.

Personarum, ceterarum rerum ex similitudine Personarum.

- Laus) (Vituperatio, Comparatio. 4.
  - Exordium.
    - a Laude, digni quos admiremur.
    - ab Adhortatione, tribuendum eis honorem.
    - ab Auditore, si qui dicit, aut argumentum, aut oratio eum offensura videatur.
  - Expositio.
    - Genus.
      - Natio.
      - Patria.
      - Majores.
      - Parentes.
    - Natura.
      - Corporis.
        - Sanitas,
        - Velocitas.
        - Vires.
        - Pulchritudo.
        - Proceritas.
      - Animæ.
        - Ingenium.
        - Judicium.
        - Memoria.
        - Mores.
        - Studium.
    - Educatio.
      - Apud quos educatur.
      - Sub quo genere Reipublicæ.
      - Quam artem professus.
      - Quibus Magistris.
    - Actiones secundum singulas virtutes) (Vitia. Usus ceterarum rerum.
    - Honores habiti ante mortem, post mortem. Huc pertinent Liberi.
    - Mors gloriosa) (turpis.
  - Cemparatio iisdem Locis, quibus Expositio, fit.
  - Epilogus cum optatione) (Cum detestatione.

Ethopœia cum Vivi; Idolopœia, cum Mortui; Prosopopœia, cum cetera Res loquentes inducuntur.

Ethopœia. 3.
- *Ex præteritis.*
- *Ex præsentibus.*
- *Ex futuris.*

Descriptio. 4.
- *Animalium, a capite ad pedes.*
- *Plantarum, a radicibus ad extremos ramos.*
- *Locorum, & Temporum, ex iis quæ fiunt, aut in eis continentur.*
- *Ceterarum rerum.*
  - *Ex antecedentibus.*
  - *Ex conjunctis.*
  - *Ex consequentibus.*

Thesis. 5.

- Exordium laudans Thesim, aut ex aliis Progymnasmatis.
- Argumenta.
  - Ex capitibus quæ pertinent ad Finem.
  - Ex Locis Expositionis Laudationis.
- Oppositiones ex contrariis eorum quæ pertinent ad Finem.
- Solutiones.
  - Per concessionem.
  - Per negationem.
  - Per contrarium.
- Epilogus.
  - Amplificatio brevis.
  - Repetitio brevis argumentorum.
  - Cohortatio brevis.

Legislatio. 4.

- Exordium liberius, quàm in Thesi.
- Contrarium, ut in Loco Communi.
- Oppositiones & Solutiones, ut in Thesi.
- Epilogus ex capitibus quæ pertinent ad Finem.

Status.

Conjecturalis 6.
- *Propositio, Accusatoris.*
- *Præscriptio, Rei.*
- *Capita propria.*
  - *Testimonia.*
  - *Voluntas.*
  - *Potestas.*
  - *Signa.*
    - *Facta.*
    - *Dicta.*
    - *Prætermissa.*
- *Oppositiones ex Signis.*
- *Solutiones.*
  - *Absolutio*) (*Translatio.*
  - *Assumptio.*
  - *Definitio Verisimilis, si signum evidens non sit; si evidens sit, non valere argumentum.*
- *Epilogus.*
  - *Enumeratio capitum.*
  - *Locus Communis.*

Statūs.

- *Propositio, Accusatoris.*
- *Præscriptio, Rei.*
- Capita propria.
  - *Definitio ex prætermissis, Rei.*
  - *Contraria definitio ex factis, Accusatoris.*
  - *Ratiocinatio ex consequentibus, Accusatoris.*
  - *Solutio Ratiocinationis ex iisdem, Rei.*
  - *Sententia Legislatoris, Communis Utriusque.*
  - *Quantitas facti, Communis Utriusque.*
  - *Comparatio facti & prætermissi, Communis Utriusque.*
- *Oppositiones ex capitibus propriis cujusque Status.*
- *Solutionos pro natura cujusque Status.*
- *Epilogus, ut in Conjecturali.*

Definitivus. 6.

Ratiocinatio.5.

- *Propositio Accusatoris ex eo quod non est expressum.*
- *Præscriptio, Rei.*
- *Capita propria.*
  - *Definitio ex Scripto, Rei.*
  - *Ratiocinatio, Accusatoris.*
  - *Solutio Ratiocinationis, Rei.*
  - *Sententia Legislatoris, Communis Utriusque.*
  - *Quantitas non Expressi, Communis Utriusque.*
  - *Definitio violenta, Quod non est expressum est id quod est expressum, Communis Utriusque.*
  - *Comparatio Expressi & non Expressi, Communis Utriusque.*
- *Oppositiones & Solutiones, Ut in Definitivo.*
- *Epilogus, ut in superioribus.*

Status

- *Propositio*, *Accusatoris.*
- *Præscriptio*, *Rei.*
- *Absolutus*. 5. Capita propria.
  - *Particula Juris*, *Rei.*
  - *Personæ qualitas*, *Ejusdem.*
  - *Definitio*, *Ejusdem.*
  - *Reliqua sex capita ut in Definitivo.*
  - *Absolutio*, *Rei.*
  - *Translatio*, *Accusatoris.*
  - *Si sit publicum crimen, hæc omnia capita insunt; si privatum, primum tantum & duo posteriora.*
- *Oppositiones*, *& Solutiones*, *ut in Definitivo.*
- *Epilogus*, *ut in superioribus.*

Translatio. 5.
- *Propositio, Accusatoris.*
- *Præscriptio, Rei.*
- *Capita propria.*
  - *Translatio, Accusatoris.*
  - *Ratiocinatio, Rei.*
  - *Solutio Ratiocinationis, Accusatoris.*
- *Oppositiones, & Solutiones.*
  - *Assumptio, Rei.*
  - *Translatio, Accusatoris.*
  - *Absolutio, Rei.*
  - *Thesis, Communis Utriusq.*
- *Epilogus, ut in Superioribus.*

Status

Assumptivus. 5.
- *Propositio, Accusatoris.*
- *Præscriptio, Rei.*
- *Capita propria.*
  - *Consilium spectandum, Rei.*
  - *Assumptio, Ejusdem.*
  - *Consilium aliud, Accusatoris.*
  - *Translatio, Ejusdem.*
  - *Comparatio, Communis Utriusque.*
  - *Violenta Definitio, Communis Utriusque.*
  - *Thesis, Rei.*
- *Oppositiones, & Solutiones.*
  - *Translatio, Accusatoris.*
  - *Absolutio, Rei, & uno verbo, ut in Definitivo.*
- *Epilogus, ut in Superioribus.*

Ex Scripto, & Sententia. 5.

- *Propositio*, *Accusatoris.*
- *Præscriptio*, *Rei.*
- *Capita propria.*
  - *Consilium*, *Rei & Legislatoris.*
  - *Adscriptum non erat*, *Accusatoris.*
  - *Consilium non Adscripti*, *Commune Vtriusque.*
  - *Ratiocinatio*, *Rei.*
  - *Solutio Ratiocinationis*, *Accusatoris.*
- *Oppositiones, & Solutiones.*
  - *Assumptio*, *Rei.*
  - *Translatio*, *Accusatoris.*
  - *Comparatio*, *Vtriusque.*
  - *Definitio violenta*, *Vtriusque.*
  - *Thesis*, *Rei.*
  - *Translatio*, *Accusatoris.*
  - *Absolutio*, *Rei.*
- *Epilogus*, *ut in Superioribus.*

Contrariæ Leges. 4.

- *Omnia capita, ut in superiori, nisi quod duplicanda.*
- *Capita propria.*
  - *Consilium Legum contrariarum.*
  - *Reliqua. 4. Capita ut in Superiori Statu, quæ vix incidunt in hunc.*
- *Oppositiones, & Solutiones, ut in Superiori: sed post Comparationem adhibenda Continentia.*
- *Epilogus, ut in Superioribus.*

Ambiguitas. 5.

- *Propositio Communis Vtriusque, ex duplici sensu.*
- *Præscriptio, Rei.*
- *Capita propria.*
  - *Sententia Legislatoris, Communis Vtriusque.*
  - *Continentia, Accusatoris.*
- *Oppositiones, & Solutiones.*
  - *Assumptio, Accusatoris.*
  - *Translatio, Rei.*
  - *Thesis, Ejusdem.*
- *Epilogus, ut in Superioribus; sed plenus Affectuum.*

Status.

- Negotialis. 5.
  - *Propositio Suasoris, aut Dissuasoris.*
  - *Præscriptio, Adversarii.*
  - *Capita propria.*
    - *Legitimum.*
      - *Lege.*
      - *Consuetudine.*
    - *Æquum.*
      - *Absolutione.*
      - *Assumptione.*
      - *Translatione.*
    - *Utile, sub quo Necessarium.*
    - *Quod fieri potest, sub quo Facile.*
    - *Gloriosum.*
    - *Eventus.*
      - *Posterior utilitas, aut posterior gloria.*
      - *Quicumque eventus accidat, hoc est expetendum.*
  - *Oppositisnes, & Solutiones.*
    - *Ex iisdem. 6. Cap.*
      - *Per Negationem.*
      - *Per Cōcessionem, sed cum circumstantia.*
      - *Per contrarium.*
    - *Et ceteræ, ut in Definitivo.*
  - *Epilogus, ut in Superioribus.*

Præscriptio. 5.
- *Propositio criminis.*
- *Præscriptio, Non potest de eâdem re bis fieri judicium.*
- *Cetera, ut in Scripto & Sententia.*
- *Quicumque alius Status incidat, ex suis capitibus explicandus.*
- *Epilogus, ut in ceteris.*

Inventio.

Inventio.
- *Exordii.*
- *Narrationis.*
- *Confirmationis.*
- *Epilogi, de quo in Loco Communi, & in Statu Conjecturali.*

- **Exordium. 6.**
  - Partes.
    - Propositio.
    - Ratio Propositionis.
    - Redditio.
    - Ratio Redditionis.
  - Genera.
    - Rectum.
    - Obliquum, quod fit cum depellimus offensionem.
  - Unde sumantur.
    - Obliqua ex oppositionibus, ut in Statibus, & Solutionibus.
    - Recta.
      - Ex Progymnasmatis.
      - Ex Capitibus quæ pertinent ad Finem.
      - Ex Locis Laudationis.
    - Omnia Exordia.
      - Ex Circumstantiis.
        - Personæ, Oratorum, Litigatorum, Auditorum, externæ.
        - Ceteræ Circunstantiæ.
        - Ex Circunstantiis Affectus, ut Lætitiæ, Doloris.
        - Ex Affectibus, & Circunstantiis, Judicia Auditorum.
      - Ex Subdivisione.
        - De hoc & alio.
        - De præterito & præsenti.
        - De præsenti & futuro.
      - Ex Abundanti.
      - Ex Occasione.
        - Majus posse, sed hoc contentos.
        - Sperantes præmium, defensionem quærere.
  - Munera.
    - Benevolentia.
      - A laude Auditorum.
      - A laude nostra, sed modesta.
      - A beneficiis nostris in illos collatis.
      - A nostra, aut eorũ pro quib. dicimus calamitate.
      - Si conferamus adversariorum potentiã cum imbicillitate nostra, aut eorum pro quib. dicimus.
      - Si odium in Adversarios concitemus.
    - Attentio ex capitibus quæ pertinent ad Finem.
    - Docilitas.
      - De quo dicendum.
      - De quot ejus partibus.
      - Quo ordine.
      - Quo modo.
      - Ab eo quod petimus.
        - Id de quo acturi.
        - Ut id attente audiant.
  - Dilatantur.
    - Multis positis propositionibus.
    - Multis singularum propositionum rationib. & earũ cõfirmationib.
    - Si Exordiis addantur.
  - Ornatur.
    - Figuris: ut Redditione, Copulatione dirimẽte, & Cõjũctione. & aliis.
    - Si geminentur singula verba, iis, quæ idem valeant aut finitimis.
    - Si geminentur incisa, & cola, ut singula verba.

Narratio. 4.

- Partes.
  - Procatastasis, quæ ante caussam narrat.
    - Facta Dicta, Prætermissa utrorumque.
  - Narratio proprie dicta, caussæ proprium factum narrat.
    - Caussæ factorum, dictorum, prætermissorum.
  - Petitio, qua petimus Affectum congruentem Narrationi.
    - Consilia quibus de faciendis dicendis, omittendis deliberamus.
  - Ratio petitionis brevi proposita.
- Dilatantur.
  - Ethopœiis.
  - Descriptionibus.
  - Iisque ante rem, in re, post rem, facta, dicta, fieri, aut dici potuerunt.
- Genera.
  - Simplex, cum res est certa, nec adhibentur ferè caussæ.
  - Confirmata, cum res est incerta, & caussæ multæ adhibentur.
  - Illustrata, cum Descriptionibns, Èthopœiis, & aliis dilatatur.
- Ornatur.
  - Addendis incisis, quæ idem fere valeant.
  - Obliqua oratione, subcontinuatione, & aliis hujusmodi.

- **Confirmatio. 2.**
  - Probandi. 5.
  - Amplificandi.
    - *Quomodo proponenda Capita.*
      - *Nostra, simpliciter.*
        - *Propositio quæ elicit Sententiam Adversarii.*
      - *Adversariorum.*
        - *Subjectio, Sententia Adversarii.*
        - *Contraria propositio, promittit solutionem ejus.*
        - *Solutio.*
          - *Per affirmationem, aut negationem.*
          - *Per concesionem; sed avertit circustantia.*
          - *Per contrarium, quæ violenta est.*
    - *Unde invenienda Arguinenta.*
      - *Ex diversis generibus, Circunstantiæ.*
      - *Ex diversis Circunstantiis cujusque generis.*
      - *Ex qualitate cujusque Circunstantiæ.*
        - *Personarum, Loci Laudationis.*
        - *Rerum, & caussarum, capita quæ ad Finem pertinent.*
        - *Loci, sacer, profanus, publicus, privatus, frequens, desertus, prope, procul, &c.*
        - *Temporis, die, noctu, æstate hyeme, vere, festo, profesto, messis, pestis, nuptiarum, &c. aut proprium illius.*
        - *Modi, clam, palam, vi, audaciter, &c.*
    - *Ex quibus dilatanda.*
      - *A Simili.*
      - *Ab Exẽplo.*
      - *A Pari.*
      - *A Majori.*
      - *A Minori.*
      - *A Cõtrario*
      - *A Testimonio.*
    - *Quomodo vis eis addatur.*
      - *Enthymemate, cum confertur argumentum inventum cum dilatato per circunstantias, aut earum qualitatem.*
      - *Epenthymemate.*
        - *Cum proponimus aliud enthymema interposito superiore enthymemate.*
        - *Cũ post enthymema unum absolutum aliud ad extremũ adhimus.*
      - *Fictis Argumẽtis.*
        - *Quod non factum, si factũ fuisset.*
        - *Quod factum si non factũ fuisset.*
        - *Si contrarium factum fuisset.*
        - *Si ante promissum fuisset.*
    - *Ordo.*
      - *Antecedunt, quæ probant; sequuntur, quæ amplifican.*
      - *Antecedunt ea ex quibus alia oriuntur.*

G

- *Amplificandi. 2.*
  - *Comprehensionem multarum Circunstantiarum.*
    - *Subdivisione singularum partium.*
      - *In Majora, raro.*
      - *In Paria, frequentius.*
      - *In Minora, frequentissime.*
        - *Illustratur.*
          - *Geminandis incisis.*
          - *Contrariis.*
          - *Ethopœis veris, aut fictis.*
    - *Post Subdivisionem ficta Argumenta, aut dilatata.*
  - *Totă caussam.*
    - *Descriptionibus omnium Circunstantiarum, nisi Caussæ.*
    - *Ethopœis: ut præteritorum, futurorum.*
    - *Quæ facta ante fueruut, aut potuerunt facta esse, quæ futura post, aut fieri potuerunt.*
    - *Subdivisione totius comprehensionis Circunstantiarum, nisi res sit turpis.*
    - *Comparatione cum historiis veris, aut fictis, ex occasione verborum ad exaggerandum.*

Elocutio.

- *Elocutio. 2.*
  - *Figura Orationis.*
  - *Idea.*

Figuræ Orationis. 12.

- *Antitheton*, cum contrario sensu proposito Sententia duplicatur.
- *Periodus.*
- *Pneuma.*
- *Dilemma.*
- *Parechesis*, cum vocabula similia in eâdem periocha adhibentur.
- *Circulus*, cum a quo vocabulo incipit periocha, in idem desinit.
- *Epiphonema.*
- *Tropus.*
- *Gravis Oratio.*
- *Cacozelum.*
- *Figurata Controversia.*
- *Comparativa Controversia.*

- *Periodus.* 4.
  - *In quibus fiat.*
    - *In Argumentis concludendis.*
    - *In Sententia exprimenda.*
    - *Cum a generali ad speciale descendimus.*
    - *Cum a speciali ad generale ascendimus.*
  - *Membra ex quibus.*
    - *Unius membri.*
    - *Bimembris.*
    - *Trimembris.*
    - *Quadrimembris.*
  - *Figura quibus fiunt.*
    - *Nomine* Quis, *& aliis relatis.*
    - *Omnibus Casibus præter Vocativum.*
    - *Aliis vocabulis Redditionis, ut* Quamquam, Partim.
    - *Reprehensionis Notis,* An non, Nonne, *&* Postea.
    - *Dubitatione,* Utrum.
    - *Similitudinis notis,* Quemadmodum, Ut, Sic.
  - *Magnitudo Membrorum.*
    - *Redditio æqualis Propositioni.*
    - *Minor, ut in Deliberativo, & Judiciali.*
    - *Major, ut in Demonstrativo.*

Pneuma. 5.

- *Quid.*
  - *Ex membris, & incisis productio spiritûs addendo alia aliis.*
- *Partes.*
  - *Membra, sive Cola longissima duodecim syllabarum longarum.*
  - *Incisa, aut Commata longissima septem syllabarum longarum.*
- *Genera.*
  - *In Verbis, cum eandem Sententiam repetimus variis generibus dicendi.*
  - *In Sententia, cum de eâdem re diversas Sententias pronuntiamus.*
- *Figuræ.*
  - *Affirmate.*
  - *Per Interrogationem cum Responsione.*
  - *Per Apostropham, quæ fit secunda Persona.*
  - *Per Ethopœiam, quæ fit prima Persona.*
  - *Per Demonstrativa Vocabula, ut illa Reprehensionis.*
  - *Per omnes Casus, Numeros, Personas, & uno verbo alia Attributa Grammatica.*
- *Vigor.*
  - *In Verbis, cum ab una Figura ad aliam transimus.*
  - *In Sententia, cum addimus plura Pneumata; in fine autem Exempla, aut Similia.*

Dilemma. 2.
- Verum, cum medium non est inter partes, & idem concluditur.
- Simulatum.
  - Cum habent Contraria Medium.
  - Si non habent, non idem efficitur.

Epiphonema. 3.
- Breve Colon in fine Descriptionis alicujus cum audaci metaphora.
- Breve Colon in fine Pneumatis, quod totam ejus vim complectatur.
- Cum ex una Metaphora cetera quae per eam Metaphoram conveniunt, elicimus: quod est potius Epiphonematicum.

Tropus. 2.
- Continuari potest Statim Metaphora, si non sit dura.
- Si duriuscula sit, multa interponenda antequam illam continues.

Gravis Oratio. 2.
- Si res Gravis sit, & Oratio ipsa erit Gravis.
- Si res Turpis sit, tegenda graviore, si ea mutetur.
  - Aut in Tropos.
  - Aut in ea quæ antecedunt turpitudinem.
  - Aut in ea, quæ illam sequuntur.

Cacozelum. 2.
- *Cum aliquid dicimus quod refelli possit Refutatiuncula.*
- *Cum aliquid utile, & abjectum dicimus.*

Utrique medemur.
- *Præmunitione quæ faciat rem probabilem.*
- *Correctione post rem ipsam.*
- *Abjecto etiam medemur, si subjiciamus aliquid grave.*

Controversiæ Figuratæ. 2.
- *Genera.*
  - *Contrarius ductus, cum volumus contrarium ejus quod persuademus.*
  - *Obliquus ductus, cum volumus contrarium ejus quod persuademus, & aliud præterea.*
  - *Ductus per emphasim, cum id quod non audemus aperte dicere, ita dicimus ut intelligi possit, neque nos reprehendi possimus.*
- *Tractantur.*
  - *Conttrarius, & Obliquus.*
    - *Rationes nostræ infirmæ.*
    - *Oppositiones maxime confirmatæ, sive ex nostra, sive ex alterius Persona proferantur.*
    - *Solutiones earum leves.*
  - *Per emphasim.*
    - *Ambiguis vocabulis, aut orationibus quæ sensum honestum, & turpem significant.*
    - *Ambigua compositione sensum honestum, & turpem siginficante.*

Comparativa Controversia. 2.
- *Comparanda singula capita in omnibus Statibus.*
- *In Negotiali videndum quæ circunstantiæ conferantur, & ex earum qualitate comparandæ sunt.*

- Idea. 3.
  - Partes 7.
    - Sententia.
    - Methodus.
    - Dictio.
    - Figura.
    - Magnitudo membrorum, aut incisorum.
    - Compositio.
    - Clausula.
  - Genera. 6.
    - Magnitudo Orationis.
    - Perspicuitas.
    - Venustas.
    - Velocitas.
    - Oratio morata.
    - Gravitas.
  - Usus.

- Magnitudo Orationis. 2.
  - Species. 6.
    - Circuitio.
    - Dignitas.
    - Splendor.
    - Asperitas.
    - Vehementia.
    - Vigor.
  - Singularum partitio.

- Sententiæ.
  - A Generali ad Speciale.
  - A Toto ad Partem.
  - Ab Infinito ad Finitum.
  - Enumeratio.
  - Multitudo Circunstantiarum, aut earum Qualitatis.
  - Differentia, aut Ablatio.
  - Amplificatio.
  - Quid Futurum, si hoc non fiat.
  - Quæ contemnens, intuens, contemplans fecit.
  - Judicium.
- Methodus, ut posteriora prius, & contra.
  - Probationes ante Propositionem.
  - Solutio ante Probationem.
- Circuitio. 4.
  - Dictio nulla propria, aut certe per Periphrasim, aut per Commemorationem.
- Figuræ.
  - Ordo.
  - Electio.
  - Hypothesis.
  - Obliqua Oratio.
  - Subcontinuatio.
  - Redditio.
  - Partitio.
  - Conjunctio.
  - Ablatio inferens.
  - Copulatio dirimens.
  - Convolutio.
  - Interpositio.

Dignitas, ſive Auctoritas. 7.

- Sententia.
  - De Deo, & Divinis citra fabulas poëticas.
  - Naturalium deſcriptio ſine Cauſsis.
  - De Moribus, de Anima, de Rep. in commune.
  - Hiſtoria illuſtres, & admirabiles.
- Methodus.
  - Affirmate, ſine ulla dubitatione dicere.
  - Allegoria multa, id eſt, Metaphora continuata.
  - Emphaſis in re gravi.
- Dictio.
  - Vocabula lato ſono, ut crebris, A, & O.
  - Metaphora verecunda.
  - Quæ abundant longis ſyllabis, aut diphthongis.
  - Nomina, Pronomina, Participia potius quàm Verba, & præſertim Verba, aut Nomina Verbalia.
  - Numerus pluralis pro ſingulari.
- Figura.
  - Recta Oratio.
  - Aſſeveratio ſine dubitatione.
  - Expoſitio noſtræ Sententiæ: abſint Apoſtropha, & Interpoſitio, & Hyperbaton.
- Membra brevia magna ex parte, aliquando longa neceſſario.
- Compoſitio.
  - Non magnopere ſollicita de concurſu Vocalium.
  - Dactylica.
  - Spondaica.
  - Pæonica.
  - Ex Epitritis: Ionici, & Chorei abſint.
- Clauſula.
  - In Nomina, aut Verba, non minora tribus Syllabis.
  - In Syllabas longas multas.
  - In ultimam, aut penultimam lato ſono.

Splendor. 7.

- Sententiæ, Res quibus maximè confidimus.
  - Res illustres, & notæ a nob's, aut a majoribus nostris præclare gestæ.
  - Quæ dicenti aut audienti magnam afferunt voluptatem.
  - In quas hæc omnia aut plurima cadunt.
  - Res cum narrantur, cum earum qualitate, & amplificatione.
- Methodus.
  - Cum aperte, & sine dubitatione, & interpositione res dicuntur.
  - Cum dicuntur res illustres illustrius, ut, jurejurando.
- Dictio, ut in Idea Dignitatis.
- Figura.
  - Ablatio.
  - Separatio, id est, quasi initium novæ Sententiæ, sive sine præparatione, quod est illustrius, sive cum ea.
  - Recta Oratio, si in obliquam statim mutetur.
  - Asyndeton.
- Membra quanto longiora, tanto splendidiora.
- Compositio.
  - Ut in Idea Auctoritatis.
  - Possunt interponi Trochæi.
- Clausula Auctoritati congruens.

Asperitas. 7.

- *Sententia*, cum inferior superiorem reprehendit, nisi Auditores ex ea re capiant voluptatem.
- *Methodus*, cum ex nostra Sententia res dicuntur, non in commune, sine dubitatione, sine correctione, sine præmunitione.
- *Dictio* dure translata, ex litteris soni asperi, aut ex concursu litterarum aspero, ut, R.
- *Figura*.
  - Apostropha.
  - Modus Imperandi.
  - Reprehensionis Nota.
  - Interrogationes breves.
- *Membra* quanto breviora, tanto asperiora.
- *Compositio*.
  - Concursu Vocalium hians.
  - Sine certo Pedum delectu, & rudis.
- *Clausulæ* rudes, & incondita.

Vehementia.

- **Sententiæ.**
  - Cum Superior Inferiorem reprehendit.
  - Par Parem reprehendit.
  - Cum Inferior Superiorem reprehendit, dum ex ea re capiant Auditores voluptatem.
- **Methodus**, ut in Asperitate, sed paullo liberior.
- **Dictio**, ut, in Asperitate licet nova nomina facere.
- **Figuræ**, ut in Asperitate: additur Demonstratio.
- **Membra**, Incisa potius, quàm Membra, ita ut singulis etiam Vocibus singula comprehendantur Incisa.
- **Compositio**, ut in Asperitate.
- **Clausulæ**, ut in Asperitate.

Vigor.

- Sententiæ. / Methodus. } Ut in Asperitate, & Vehementia.
- Dictio. / Figuræ. } Ut in Asperitate, Vehementia, & Splendore.
- Cetera, ut in Splendore.

Perspicuitas.

- **Species.**
  - Puritas.
  - Distincta Oratio.
- Singularum Partitio.

Puritas. 7.

- *Sententiæ communes, & populares.*
- *Methodus.*
  - *Sine ulla Sententia Circuitionis; aut, si proponatur, fiat id post rem ipsam.*
  - *Narrandi modo res inducere, sine Interpositione aut certe brevi.*
- *Dictio usitata, & propria, sine Tropis, neque dura.*
- *Figuræ.*
  - *Recta Oratio.*
  - *Circuitionis Figuræ procul absint.*
- *Membra.*
  - *Brevia magna ex parte.*
  - *Quæ Sententiam absolvant per se.*
- *Compositio.*
  - *Parum sollicita de concursu Vocalium.*
  - *Iambica.*
  - *Trochaica.*
- *Clausula congruens Compositioni.*

Distincta Oratio. 5.

- Sententia.
  - Quæ præmuniant ea, quæ dicenda sunt.
  - Quæ proponunt ea, quæ dicenda sunt.
  - Transitiones ab eo quod dictum est, ad id quod dicendum est.
- Methodus.
  - Sententiæ dictæ.
  - Ordinem naturalem dicendorum servare.
  - Quod si Ordinem invertat, ejus admonere.
- Dictio ut in Idea Puritatis.
- Figuræ.
  - Ordo.
  - Partitio.
  - Enumeratio.
  - Interrogatio sui ipsius cum Responsione.
  - Epanalepsis, id est, interpositis aliis verbis, ejusdem Verbi aut Sententiæ repetitio.
- Cetera, ut in Idea Puritatis.

- Sententiæ. / Methodus. — Nulla propria.
- Dictio, ut in Idea Puritatis: quanto breviora vocabula, tanto venustiora.
- Venustas. 7.
  - Figura.
    - Homœoptoton, cum iisdem attributis concluduntur Incisa aut Membra.
    - Homœoteleuton, cum desinunt in easdem syllabas.
    - Parechesis.
    - Circulus.
    - Isocolon, ex pari numero vocabulorum.
    - Parison, ex vocabulorum numero prope pari.
    - Antitheton, ex contrariis aut discrepantibus, instar contrariorum.
    - Anaphora, cum repetitur idem in principiis.
    - Antistropha, cum repetitur idem in extremis.
    - Epanastropha, cum idem verbum aut pars illius quæ superius finit, incohat sequens.
    - Climax, cum quod finit primum membrum, inchoat sequens.
    - Ablatio, quæ tantum negat.
    - Partitio secundum paria, cum singulis partibus singula respondent.
    - Affirmatio, cum duæ Negationes affirmant.
    - Hyperbaton, cum longissime separantur quæ inter se respondent.
    - Innovatio, cum aliquid præter consuetudinem Grammaticam dicitur.
    - Polyptoton, cum diversis attributis Grammaticis idem repetitur.
- Membra mediocriter longa; aut, si brevia sensu implicato.
- Compositio.
  - Sine concursu Vocalium, quoad fieri possit.
  - Proxime ad versum accedens.
  - Pedes inter se congruentes.
- Clausula.
  - Brevis.
  - Longa ita ut præcedat brevis.

- *Veritas. 3.*
  - *Sententiæ.*
    - *Ut in Simplicitate, & Modestia.*
    - *Exclamatio.*
    - *Admiratio.*
    - *Dubitatio.*
    - *Optatio.*
    - *Exsecratio.*
    - *Ceteri Affectus.*
  - *Methodus.*
    - *Cum Sententiæ proponuntur, quin Affectum præmoneamus.*
    - *Si Oppositiones solvantur absque Propositione, & contraria Propositione.*
    - *Cum subito videmur dicere.*
    - *Iratæ Orationis, & gravis Affectus, cum Consecutionem non servamus.*
  - *Cetera.*
    - *Aposiopesis, cum Incisum aliquod reticetur.*
    - *Approbatio ad amplificandum, sine Dubitatione.*
    - *Correctio cum Amplificatione.*
    - *Partitio soluta, id est, cum altera pars non redditur.*
    - *Reliquæ Figuræ & cetera, si Affectus vehemens, ut in Asperitate, & Vehementia; si lenis, ut in Simplici, Dulci, aut Pura.*

- **Objurgatio. 3.**
  - Sententiæ.
    - Reprehendimus ingratos.
    - Querimur benemeritos pœna, male meritos præmio affici.
  - Methodus.
    - Per Ironiam, aut Sententiæ reliquarum moratarum addita Ironia.
    - Cum res certa cum Dubitatione dicuntur.
    - Expositio suæ Sententiæ cum Dubitatione.
  - Cetera, ut in reliquis Ideis moratis.

- **Gravitas. 3.**
  - Quæ est, & videtur.
    - Sententiæ. / Methodus. — Cujusvis Ideæ Magnitudinis, & acutæ, & admirabiles.
    - Dictio, ut in quavis Idea Magnitudinis.
    - Cetera, ut in quavis Idea Magnitudinis, præter Asperitatem, & Vehementiam; frequentes autem Periodi, & præsertim convolutæ.
  - Quæ est & non videtur: omnia acuta, ornata Ideis moratis, & præsertim simplicitate, admista aliqua Idea Magnitudinis, & præsertim Dignitate.
  - Quæ videtur, & non est.
    - Sententiæ.
      - Inanes, quæ videntur acutæ, & non sunt.
      - Multæ Fabulæ.
      - Multa Poëtica.
      - Multæ Descriptiones.
      - Multa Progymnasmata.
    - Methodus.
      - Amplificat res antequam probet.
      - Magnitudinem adhibet ubi non est opus.
    - Dictio, ut in Auctoritate, Asperitate, & Vehementia.
    - Cetera, ut Dignitas, aut Vigor, sed potissimum ut Venustas.

Idearum Usus. 4.
- In singulis generibus Orationum.
- In Partibus Orationis.
- Quomodo miscendæ Ideæ.
- Quam vim habeant.

In singulis Generibus Orationum.
- Orationum Genera.
  - Forensis, quæ persuasionem spectat; ut mera Deliberatio.
  - Panegyrica, quæ ostentationem spectat: ut Laus.
  - Mista, quæ utrumque continet.
- Usus Idearum in illis.

- *Usus Idearum in Generib. Orationis. 3.*
  - Forensis.
    - Forensis simpliciter ex quibus.
      - *Pespicuitate.*
      - *Velocitate.*
      - *Simplicitate.*
      - *Modestia.*
      - *Veritate.*
    - Forensis perfecta.
      - In commune.
        - 1. *Circuitione, Perspicuitate, & Moratis.*
        - 2. *Asperitate, Vehementia, & Velocitate.*
        - 3. *Reliquis Ideis Magnitudinis.*
        - 4. *Venustate recta, ubi acumen, & multi sensus.*
        - *Ex Gravitate, quæ est, & non videtur, aut ejus quæ est, & videtur, parum; ejus quæ videtur, & non est, nihil.*
      - Species.
        - Deliberatio.
          - *Ut Forensis perfecta.*
          - *Omnes Ideæ Magnitudinis.*
          - *Objurgatio ex moratis.*
          - *Gravitas quæ est, & videtur.*
        - Judicium.
          - Publicū ut Deliberatio.
          - Privatum.
            - Ex Magnitudine Sententiæ, Circuitionis.
            - Cetera parce, Dictio, & Figuræ, Vehementiæ.
            - Ex Moratis, Simplicitatis, & Modestiæ multum; Objurgationis, parum.
            - Ex Gravitate quæ est, & non videtur.
  - Panegyrica.
    - Sipliciter abundat.
      - Puritate.
      - Ideis Magnitudinis præter Asperitatem, & Vehementiam.
      - Venustate.
      - Simplicitate.
      - Dulcedine.
    - Perfecta.
      - In Commune.
        - *Ut Panegyrica simpliciter.*
        - *Minimum Velocitatis.*
        - *Multum Venustatis, & Dnlcedinis.*
        - *Minimum ejus Gravitatis, quæ est & videtur.*
      - Species.
        - *Dialogi, in his omnes Idearum formæ pro Personis quæ inducuntur.*
        - Historia.
          - *Descriptiones, pura, simplici, & dulci fiunt.*
          - *Cōciones, ut Deliberationes.*
        - Poësis.
          - *Magnitudinis Ideæ.*
          - *Dulcedo.*
  - Mista.
    - *Ut Deliberatio.*
    - *Excellant Dignitas, & Splendor.*

Velocitas. 7.

- *Sententia nulla propria.*
- *Methodus brevissimis Oppositionibus, brevissimæ Solutiones reddendæ.*
- *Dictio quæ potissimum constet Syllabis brevibus.*
- *Figuræ.*
  - *Videntur reddere velocem Orationem, & non reddunt.*
    - *Interpositio.*
    - *Obliqua Oratio, cum particula* Cum.
    - *Subcontinuatio.*
  - *Videntur reddere velocem Orationem, & reddunt.*
    - *Apostropha, præsertim si ad varias Personas brevi commutetur.*
    - *Asyndeton brevissimis Incisis.*
    - *Commutationes breves, & crebræ, ut Ordinis.*
    - *Partitio ex brevissimis Incisis.*
    - *Anaphora Incisis brevibus.*
    - *Antistropha Incisis brevibus.*
    - *Syploca ex brevibus Incisis.*
    - *Conjunctio ex brevibus Incisis.*
  - *Reddunt Orationem velocem, & non videntur.*
    - *Altera obliqua Oratio.*
    - *Convolutio, id est, implicatus sensus Membrorum, & Incisorum.*
- *Membra quanto breviora, ut Incisa potius sint, eò velociora.*
- *Compositio.*
  - *Fluat, nec habeat hiatum, neque concursum Vocalium, si fieri possit.*
  - *Trochæi, & Trochaicæ compositiones aptissimæ.*
- *Clausula.*
  - *In syllabas potius breves, quàm longas.*
  - *Pendula, uon stabilis.*

- Oratio Morata.
  - Species.
    - Simplicitas.
    - Dulcedo.
    - Arguta Oratio.
    - Modestia.
    - Veritas.
    - Objurgatio.
  - Singularum Partitio.

- Simplicitas. 3.
  - Sentētiæ.
    - Ut in Oratione Pura.
    - Simplicium Personarum: ut Rusticorum, Pastorum, quæ vix inducendæ nisi decôri caussa.
    - De rebus abjectis, ut in Caussis privatis: nam in publicis non fiet nisi muniatur aliqua Idea Magnitudtnis.
    - Cum multa exempla ex ceteris animalibus, & stirpibus proferuntur.
    - Cum imploramus aliquid, quo Loco probandum est.
  - Methodus
    - Ut in Oratione Pura.
    - Cum singula minutatim describuntur.
    - Cum proponitur aliquid nude, & sine Circuitione.
  - Cetera, ut in Idea Puritatis, præter Clausulam, quæ stabilis debet esse.

Dulcedo. 6.

- Sententiæ.
  - Fabulæ Poëticæ, quæ non decent Oratorem nisi excitentur Velocitate.
  - Quæ proxime accedunt ad has Fabulas.
  - Quæ habent aliqua ficta, sed plura vera.
  - De Amoribus.
  - De rebus præclare gestis a nobis, aut a nostris.
  - Laudes nostræ, aut Nostrorum.
  - Quæ sensus nostros delectant præsertim honeste.
  - Cum rebus mutis tribuimus quæ propria sunt animatorum.
  - Cum ceteris animalibus, quæ hominum sunt, tribuimus.
- Methodus, ut in Idea Puritatis, & Simplicitatis.
- Dictio.
  - Ut in Idea Simplicitatis.
  - Poëtica, & Epithetis abundans.
- Membra, ut in Pura, Venusta, & Simplici Oratione.
- Compositio, ut in Idea Dignitatis, aut Venustatis.
- Clausula, ut in Idea Dignitatis.

Arguta Oratio fit modis quinque.

- Cum simplices Sententias acute, aut acutas simpliciter enuntiamus.
- Cum vocabulum inusitata significatione usurpatur; sed qua congruat ei nomini.
- Per Parechesim, qui modus est frigidiusculus.
- Per antistasim, id est, cum idem vocabulum intra eandem Periocham, & propria, & aliena significatione usurpatur.
- Cum Metaphora durior mollitur altera molliori intra eandem periocham.

Modestia. 3.

- Sententia.
  - Cum res nostras extenuamus.
  - Cum adversarios reprehensuri, laudamus.
  - Cum dicimus nos nolle accusare, sed defendere, aut ad accusandum invitos accedere.
  - Cum dicit Reus, se contemni, quod unus explebe sit.
  - Cum dicit Reus, se maluisse accusari, quàm accusare.
  - Cum dicit a se neminem umquam accusatum fuisse.
- Methodus.
  - Cum possemus cum dignitate nostra prædicare, & ea sponte minuimus.
  - Si cum aliena refellere asperius possemus, non facimus.
    - Cum Præmonitione, quod minus modestum.
    - Sine præmonitione.
  - Cum pure, aut simpliciter dicimns.
- Cetera, ut in Idea Puritatis, & Simplicitatis.

Usus Idearum in Partibus Orationis. 4.

- Exordii, Circuito, & Modestia.
- Narrationis.
  - Perspicuitas.
  - Veritas.
  - Velocitas secundum Figuras, & præsertim Subcontinuationem, & Interpositionem.
- Confirmationis, Velocitas ut plurimum.
- Epilogi.
  - Velocitas.
  - Si Affectus graves movendi, Asperitas, & ei Finitima.
  - Si lenes, Morata præter Objurgationem.

Quomodo miscendæ Ideæ. 2.

- Finitimæ.
  - Puritati.
    - Simplicitas.
    - Modestia.
    - Veritas secundum Affectum lenem.
  - Circuitioni.
    - Dignitas.
    - Splendor.
    - Vigor.
    - Gravitas, quæ est, & Videtur.
  - Asperitati.
    - Vehementia.
    - Velocitas.
    - Objurgatio.
  - Venustati.
    - Splendor.
    - Dulcedo.
    - Gravitas, quæ videtur, & non est.
    - Arguta Oratio.
- Contrariæ.
  - Distinctæ Orationi.) (Circuitio.
  - Dignitati.) (Simplicitas.
  - Asperitati, Vehementiæ, & Vigori) (Simplicitas, Modestia, Dulcedo, & Venustas.
  - Venustati) (Velocitas, ea maxime quæ fit per Interrogationes breves, & Responsiones.
  - Abjectæ Orationi) (Venustas, & apte composita Oratio.

Distincta Oratio, ne Circuitione nostra Oratio obscuretur.

Circuitio, & Velocitas, ne nostra Oratio mollis sit.

Splendor additur Dignitati, ne nimis Oratio efferatur: Asperitati, & Vehementiæ, ne nimis acerba sit.

Ideæ quam vim habeāt. 6. { Venustas, ne agrestis Oratio videatur: nimia Venustas detrahit Auctoritatem.

Morata, ut Verisimilis, & evidens sit.

Gravitas, ne ab ingenio rudi facta videatur.

- Exercitatio. 2.
  - Genera.
    - Liberum.
      - Progymnasmata.
      - Declamationes.
      - Orationes.
    - Non Liberum.
      - Explicare Artificium Rhetoricum.
      - Imitari Opera aliena.
      - Censura de illis.
      - Contradicere illis.
  - Quî fiat.
    - Liberæ Exercitiones.
      - Progymnasmata, & Orationes, ut in Præceptis Artis.
      - Declamationes, ut in Præceptis Orationum; sed breviores, & ficto argumento.
    - Non Libera.
      - Explicatio Artificii Rhetorici iisdem præceptis quibus quicque fit.
      - Imitatio.
        - Additione.
        - Detractione.
        - Transpositione.
        - Immutatione.
      - Censura fit ex Præceptis iisdem; sed præsertim Methodo Prudentiæ.
      - Contradicimus, aut ex Locis contrariis, aut iisdem contraria ratione tractatis.

FINIS.

Y. M. Malendrich Officialis, &
Vicarius Generalis.

INDEX TABULARUM INSTITUTIONUM RHETORICARUM, PETRI JOANNIS NUNNESII.

A

Abſolutus Status, pag. 41.
Ambiguitas, 44.
Amplificatio, 49. 50.
Arguta Oratio, 72.
Aſperitas, 60. 74. *Ejus Partes*, 50. 60.
Aſſumptivus Status, 42.
Auctoritas, 58.

C

Caeozelum, 55.
Chria, 33.
Circuitio, 57. 74. 75.
Circunſtantiæ, 49.
Comparatio, 32.
Comparativæ Controverſiæ, 55.
Confirmatio, 31. 49.
Conjecturalis Status, 38.
Confirmatiuncula, 33.

D

Definitivus Status, 39.
Deſcriptio, 36.
Dignitas, 58. *Ejus Partes*, 58.
Dilemma, 54.
Diſtincta Oratio, 63.
Dulcedo, 71.

E

Educatio, 35.
Elocutio, 31. 50. *Ejus Figuræ*, 31. *Idea*, 31.
Epilogus, 33.
Epiphonema, 54.
Ethopeia, 36.
Exercitatio, 76.
Exordium, 35. 47.
Ex Scripto, & Sententia, 43.

F

Fabula, 32.
Ficta Argumenta, 49.
Figuræ Orationis, 51. 52. 57.
Figuratæ Controverſiæ, 55.
Earum Genera, 55.
Forenſis Oratio, 68.

G

Genus, 35.
Gravitas, 66. 75.
Gravis Oratio, 54.

I

Ideæ, 56. 66. *Earum Uſus*, 67. 68. 73. *Quomodo miſcendæ*, 74. *Quam vim habeant*, 75.
Imitatio, 77.
Inventio, 31. 46.

L

Laus, 35.
Leges Contrariæ, 44.
Legiſlatio, 37.
Locorum Circunſtantiæ, 49.
Deſcriptio, 36.
Locus Communis, 34.

M

M

Magnitudo Orationis, 56.
Membrorum, 52.
Membra, ex quibus, 52.
Methodus Prudentiæ, 31.
Modeſtia, 72.
Modi, 49.
Morata Oratio, 70. 75.
Mors, 35.

N

Narratio, 48. 73.
Narratiuncula, 32. 33. *Ejus Circunſtantiæ*, 32.
Natura, 35.
Negotialis Status, 45.

O

Objurgatio, 66.
Orationum Genera, 56. *Species*, 56.
Oratio Abjecta, 74.
Oratio Arguta, 72.
Oratio Diſtincta, 63.
Orationis Figuræ, 51.
Orationis partes, 63.
Oratio Gravis, 54.
Orationum dilatatio, 31. *Morata*, 70.
Orationum Genera, 67.
Ordo Argumentorum, 49.

P

Panegyrica Oratio, 68.
Periodus, 52.
Peroratio, 31.
Perſonarum Circunſtantiæ, 49.
Perſpicuitas, 61.
Pneuma, 53.
Præſcriptio, 46.
Progymnaſmata, 31. 32.
Prudentiæ Methodus, 31.
Puritas, 62. 74.

R

Ratiocinatio, 40.
Refutatiuncula, 33.
Rerum Circunſtantiæ, 40.
Rhetorica, 31.

S

Scriptura, 43.
Sententia, 33. 43. 57. 58.
Simplicitas, 70.
Splendor, 59. 75. *Ejus partes*, 59.
Status, 31. *Conjecturalis*, 38.

T

Temporis Circunſtantiæ, 49.
Temporum Deſcriptio, 36.
Theſis, 37.
Tranſlatio, 42.
Tropus, 54.

V

Vehementia, 61.
Velocitas, 69.
Venuſtas, 64. 74. 75.
Veritas, 65.
Vigor, 53. 61.
Vis quomodo addatur Argumentis, 49.
Vituperatio, 35.
Uſus Idearum in Partibus Orationis, 73.

DE-

DECLAMATIO PRO CONDONANDIS INJURIIS.

INhumanum prorſus, atque ferinum eſt, alienas injurias liberaliter, ac generoſe, non velle remittere; ſed eas ſævâ, atrocique cupiditate velle cunctas ulciſci. Non ita mortales illi, qui vere quondam, ſapienterque philoſophabantur. Socrates enim multis, qui eum non levibus affecerant damnis, ignovit. Euclides item Megarenſis ei, qui magnas ſibi petulanter minas malorum, atque adeo mortis intentaverat, jurejurando, interpoſita ejuſdem Sacramenti Religione, promiſit, ſe libenter illatas condonaturum injurias. Verum, quod iſte verbis erat pollicitus, re ipſa præſtitit ſapientiſsimus Phocion. Hic enim, ut teſtis eſt Ælianus, per ſummam invidiam ab inimicis falſo condemnatus Athenis, cum jam porrigente tortore cicutam, morti eſſet proximus, rogatur ab amicis vellet eos extremum ſapienti quadam oratione ſolari; cumque ipſe taceret, in obſecrationibus illi perſiſtunt, adduntque ne ſaltem gravaretur ſalutaribus Natum hortationibus inſtruere. Tunc inquit: *Filium meum hortor, & moneo, ut mortem iſtam paternam, licet iniquam, deleat oblivione perpetua.* O mentem nobilem, & generoſam! O factum egregium! & memoriâ nullis intermoriturâ ſeculis digniſsimum! Si Chriſtianis Legibus, ac Inſtitutis hic homo fuiſſet excultus, adhuc optimo jure tantam lenitatem, & manſuetudinem, tantam patientiam, tantam denique virrutem miraremur. Cum autem Ethnicus extiterit, & Evangelica luce deſtitutus, quis tantæ probitatis exemplo non erubeſcit? & ingenti rubore perfunditur? Agite, Chriſtiani, ubinam excellens illa vitæ ſanctimonia, perfectioniſque præſtantia, quam Sanctiſsima Lex veſtra, & Inſtituta præſcribunt? Hoccine Divinum venerari Numen! Fraternum ſanguinem crudeliſsime ſitire, Leones immanitate, rabie Tigres & ferociâ ſuperare! Errata nemini remittere! O pectora ferrea, & adamantina!

tina! O Gentes immanitate barbaras! A quonam, miseri, hæc didicistis? Quem imitamini? Cujus sequimini vestigia? Nolite igitur, nolite per Deum immortalem in tam cæco diutius errore volutari. Memoria tenete, quàm severè rerum omnium Dominus lenitatem commendarit. Videte, quàm sit dilectio naturæ nostræ congrua. Perpendite vigilanter quàm multis, & arctissimis nos amoris vinculis naturæ totius Auctor & Parens optimus astrinxerit. Omnes ex eodem limo ab unoque Conditore procreati. Eâdem omnes aurâ fruimur. Cunctos eadem tellus alit, atque sustentat. Sunt præterea sacrosancta Symbola communia: idem nos scopus, eadem beatitudo manet, quam consequi, quâ tandem ratione possumus, nisi ad condonandas injurias faciles, ac propensi fuerimus? Præstemus igitur, præstemus hoc in posterum, si salvi & incolumes esse cupimus. Sic enim totius Bonitatis Archetypon imitabimur: cujus denique erimus filii charissimi, quos ipse non modo in hoc terreno diversorio cœlestibus cumulabit bonis; sed etiam ad sempiterna Regna translatos, immortali gloria, immenso gaudio, inefabilique dulcedine perfundet.

FINIS.